~~20, 6, 57~~

3 24, 6, 11

~~20~~
~~6~~ ~~20~~
~~86~~ ~~6~~
~~57~~

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
71
3 B
40

Collegij Rom. Societ. Iesu. Bibl. Munk.

DE REPARANDA ECCLESIASTICOrum diſciplina, oratio Gentiani Herueti,

QVA INTERPRETATVR ſextum Canonem concilij Chalcedonen. qui ſitus eſt in diſtinctione lxx. Gratiani, ex quo maxima ex parte pendet reſtitutio lapſæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ.



COLLEG. ROMANI BIBLIOTH. IHS

PARISIIS,
Apud Nicolaum Cheſneau, ſub ſcuto Frobeniano & quercu viridi, monte D. Hylarij.
1561.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

EXTRAICT DV Priuilege.

P*Ar grace & priuilege du Roy, donné a* Orleãs, *le* 4. *iour de Ianuier* 1560. *ſigné: Camus, eſt permis a M. Gentian Heruet, faire imprimer & expoſer en vente par tel libraire que bon luy ſemblera, vn liure par luy composé, intitulé:* De reparanda eccleſiaſticorum diſciplina, oratio, &c. *Et ſont faictes defences à tous libraires & imprimeurs de ce royaulme, de non imprimer ny vendre aucuns dudict liure, ſi n'eſt par le conſentement dudict Heruet, ou du libraire ou imprimeur, qui dudit Heruet aura charge & mandement expres de ce faire, iuſques au temps & terme de dix ans finis & accomplis apres la premiere impreſſion, qui en ſera faicte, ſur les peines amplement contenues audit priuilege.*

PETRO DANESIO IN PRIMIS REVERENDO Vaurenſi Epiſcopo, Gentianus Heruetus. S. D. P.

CVM *orationem meam qua interpretor ſextũ canonem cõcilij Chalcedonenſis, ex quo vno ferè pendet Eccleſiaſticæ aliquot iam ſeculis lapſæ diſciplinæ reſtitutio, in lucem edere ſtatuiſſem, tu vnus mihi occurriſti, cui eam iure optimo potiſsimum dedicarem. Nam cùm eius interpretatio ex Græco fonte ex quo profluxit petenda ſit, quis eſt qui tuũ in lingua Græca iudicium nõ tanti faciat, quanti eius qui in Græcis euoluendis auctoribus plurimos annos cũ fructu maximo ſit verſatus? His accedit, quod cùm turbulentiſsimis his noſtris temporibus, optimas; id eſt, orthodo-*

xas religionis partes ita ſequaris, vt à recto Catholicæ Eccleſiæ tramite ne latū quidem vnguem diſcedas, in eorum tamen qui Eccleſiæ preſunt moribus multa corrigi cupias. Quod quidem niſi fiat, tot malis agitatæ Chriſtianæ reip. fruſtra alia quæritur medicina. Melius autem corrigi non poſſunt, quàm ſi hic canō & recte intelligatur, & in vſum reuocetur. Atque vt rectè quidem intelligatur, me ſedulo laboraſſe profiteor: an autem verum ſenſum ſim aſſecutus, tuū eſto iudicium. Vt in vſum autem reuocetur, ſi omni tua auctoritate et gratia, qua apud principes viros plurimùm vales, ſedulò contenderis, de recta religione quæ malis miniſtrorum Eccleſiæ moribus maximum accepit detrimentum, optime mereberis. Digniſſima profectò res eſt in quā omnes ingenij, eloquentiæ & doctrinæ neruos intēdas. Quod ſi feceris, ſpero fore vt & præclarū tuū conatū Chriſtus fortunet, & te tandē immortali donet gloria. Vale. Aureliæ xij. Cal. Iulias. 1561.

GEN-

GENTIANI HERVETI

Aurelij oratio, qua interpretatur ſextum canonem concilij Chalcedonenſis, qui ſitus eſt in diſtinct. lxx. Gratiani, ex quo maxima ex parte pendet reſtitutio lapſæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quod attinet ad miniſtros Eccleſiæ.

CREDO ego auditores vos mirari, quod & in hunc locum inſolens aſcẽderim, & eum canonem interpretãdũ ſumpſerim, qui in ſcholis nuſquá hodie legitur, & ex quo pauca aut potius nulla capi poſſe videtur vtilitas. Quod quidem ne me temere feciſſe exiſtimetis, priuſquam ad rem ipſam aggrediar, mei conſilij & inſtituti ratio paucis

vobis eſt exponẽda. Ego cùm neſcio quot ab hinc annis, Aurelia, quæ mihi patria eſt, relicta, Romam eſſem profectus, & à ſanctæ Rom. Eccleſiæ Diacono Cardinali Reinaldo Polo, in Marcelli Ceruini Cardinalis ſanctæ crucis, qui paucorum dierũ ante Paulum quartũ fuit pontifex Max. familiá eſſem traditus, eum à ſanctæ memorię Paulo tertio pontifice Max. ad Concilium legatum Tridentum ſum ſecutus. Quo in loco à congregatis illuc patribus aliquot ſanctiſsima facta fuere decreta, nempè de iuſtificatione & de aliquot aliis, quæ ſunt hoc lõge infœliciſsimo ſeculo apud multos controuerſa: facta ſunt etiam aliquot alia decreta de reparanda Eccleſiaſtica diſciplina, quæ etſi ſunt quidé præclara, non ſunt tamen eiuſmodi vt priſcos illos mores in integrum reſtituant. Quod quidem vt fiat, omnino

Decreta facta in Concilio Tridentino.

neceſſe

neceſſe eſſe mihi perſuadeo, ſi iam diu deſiderata ſit veluti poſtliminio inter Chriſtianos reditura concordia. Memini autem me Marcello legato tunc dicere, ſedulò quidem rem geri & laudandum eſſe eorum conatũ, ſed meo iudicio non opus eſſe tot decretis, ſufficere enim ſi vel vnus Concilij Chalcedonenſis canon rectè intelligatur, & renouatus diligẽter obſeruetur. Atque mihi quidem viſus ſum id facile tunc illi perſuadere: nec deſperandum erat fore vt eum curaret renouandum, ſi vel Concilium non fuiſſet paulo poſt Bononiã tranſlatum, ac deinde ſuſpenſum, vel in pontificatu aliquot annos nobis fuiſſet ſuperſtes. Sed quoniam ita Chriſto viſum eſt, vt tantus vir nobis immatura morte præriperetur, non duxi committendum, vt mea de hoc canone ſententia penitus intercide-

rit, ſperans fore vt ſi vel aliquando liberum congregetur concilium, vel aliquis exoriatur pōtifex, cui ſit vnus ſcopus Chriſti gloria, verúmque decus & ſplendor Eccleſiæ, hæc mea quantulacunque admonitio non ſit omnino futura inutilis. Atque maxima quidem ſpe ducebar hodiernum primæ ſedis pontif. Maximum Paulum quartum, ſummam ſuam doctrinam & pietatem, ad hoc ſanctiſſimū Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtaurandæ negotium eſſe collaturum, ſed incōmodè, imò verò infœliciter accidit, vt vixdum inito pōtificatu grauiſsimæ Romanorum aliquot ciuiū iniuriæ, à tam pulchro & tam neceſſario incœpto auocatum ad alia traduxerint. Neque verò nunc deſperádum eſt, diuino beneficio pace reddita, eum diui Petri Cymbæ, quæ pluſquam decumanis agitatur fluctibus,

quam maximam poterit opem eſſe allaturum,niſi diuinam eius mentem vel humanarum rerum æſtus, vel aggrauantis ſenectutis incommoda opprimant. Nulla autem alia inueniri poteſt firmior ac validior opis ferendæ ratio, quã ſi priſcis,quoad eius fieri poterit, in vſum reuocatis moribus, veteris diſciplinæ ſacra iaciatur ancora. Quod quidem vt in hoc regno fiat quantopere cupiat Chriſtianiſsimus rex noſter Henricus, ſignificationem dedit longè maximã,quando anno ſuperiore pulcherrimum fecit edictum, quo cauebatur vt quibuſcunque ſunt cõmiſſa munera Eccleſiaſtica, non vicaria opera,ſed ipſi pręſentes ſuum officiũ facerẽt. Quod quidem ne plenè ac perfectè poſsit fieri, nihil magis obſtat quàm quod canon quẽ hodie ſuſcepimus interpretandum, partim non ſatis intelli-

Ratio ferẽdæ opis labanti reip. Chriſtianæ.

gatur, partim magna ex parte exolue-
rit. Quis verè Chiſtianus & de fide re-
ctè ſentiens hodie non ingemiſcit, &
non ardet dolore, cùm inconſutilem
Chriſti tunicam videt tam nefariè
diſcerpi, vnam Eccleſiam in tot ſe-
ctas & factiones diuidi, à coniuratis
pietatis hoſtibus aduerſus pios quas
non inſidias tendi, cùm audit in no-
biliſsima & frequentiſsima totius or-
bis Chriſtiani ciuitate aduerſus à
Chriſto traditam religionē, noctur-
nos cœtus fuiſſe celebratos? Horum
autem malorum cauſam etiam atque
etiam cogitans, vix aliam maiorem
inuenio, quàm quòd ordo ſacerdo-
talis, cuius tātam eſſe dignitatem di-
uus aſſerit Chryſoſtomus, vt ea ſit
præferenda regibus, & in tantam ex-
creuerit multitudinem, vt vulgo cō-
temnatur, & tam malè ſuum munus
obeat, & tam flagitioſe ac nequiter

Quāta ſit dignitas ſacerdotalis.

magna

magna ex parte vitam tranſigat, vt vel odiũ vel inuidiam vbiq; ferè ſibi conflauerit. Noſtrorum certè aduerſariorum in ſacerdotes tam vehemẽs & tam virulẽtum erupit odiũ, vt cùm ſit ſacerdotis munus, Chriſti verbis ab eo prolatis, Chriſti verum corpus & ſanguinem conficere, & incruentam hoſtiam pro totius populi peccatis Deo offerre, nõ dubitarint cum Deo pugnare, & contra traditam ab Apoſtolis conſuetudinem, & totius populi Chriſtiani conſenſum, nouos ritus introducentes, nec verum eſſe Chriſti corpus nec ſangninem, nec pro peccatis incruentam offerri hoſtiam, ore ſacrilego affirmare. Diuus Gregorius Nazianzenus, quo nihil vnquã eruditius, nihil magis pium tota tulit Græcia, & à quo ſacras literas didiciſſe ſe ſanctus gloriatur Hieronymus, alloquitur ſacerdotes his

Greg. Nazianzenus.

elegantiſsimis verſibus:

Ὦ θυσίας πέμποντες ἀναιμάκτους ἱερῆες,
Ὦ ψυχῶν ταμίαι μεγαλόθρονοι, ὦ μεγάλοιο
Πλάσμα θεοῦ χείρεσσιν ἐν ὑμετέροισι φέροντες.

Iſti autem planè impij homines, ſi dicendi ſunt homines, & non cacodæmones, nec incruentas offerri hoſtias, nec verum eſſe Chriſti corpus, quæ eſt abominanda eorum impudẽtia, verentur aſſerere, atque adeo nullos eſſe omnino ſacerdotes. Quis enim iure ſacerdos dici poteſt, qui nec offert nec ſacrificat? Mirum eſt autem quòd cùm ſint eorum dogmata falſa, execrãda, atque adeò planè impia, plurimos tamen, proh dolor, inueniant qui facile aſſentiantur. Cuius rei vel præcipuam eſſe cauſam mihi perſuadeo, quòd cùm in perditam ac flagitioſam multorum ſacerdotũ vitam apud imperitos inuehãtur, quos non rectè ſuo fungi officio probare eſt facilimum, tam ſibi faciunt audien-

dien-

dientiam,vt cęteris quæ poſtea dicũt, cuiuſmodicunq; ea ſint, fides poſtea habeatur. Quod ſi eccleſiaſtica quæ aliquot hinc annis lapſa eſt diſciplina,in ſuum ſtatũ reſtituatur, quod vt noſtris fiat temporibus faxit Chriſtus Opt. Max. vix vllum inuentum iri arbitror,qui nõ peſtiferis erroribus aures occludat, & impia dogmata non abhorreat,& auerſetur. Ad id autem efficiendum cùm nihil eſſe hoc canone cõuenientius, nihil conducibilius mihi perſuaderẽ, operæ pretium eſſe duxi, eius qualemcũque meam afferre interpretationem. Quam ſi vobis probari intellexero auditores,ego maximum laboris mei fructum mihi cepiſſe videbor. Habetis totius mei conſilij & inſtituti rationẽ. Nunc reſtat vt interpretationẽ canonis aggrediamur. Quod dum quàm potero facilimè & breuiſsimè ſum facturus,

vos rogo vt me,vt cœpiſtis, benignè & attēte audiatis. Canon quem ſumpſi interpretandum, eſt ſextus canon Conſilij Chalcedonenſis, qui citatur in decretis diſtinctione.lxx.Eſt autem ex Greco tam malè verſus,vt non mirum ſit ex eo malè intellecto, in Chriſtianam remp.permulta deriuata fuiſſe incōmoda. Videor itaque rem totam facilius ac dilucidius explicaturus, ſi canonem rurſus vertens, & meam cum veteri conferens interpretationem, ſingula deinde verba exponam, & quid ex non fideli verſione erroris enatum ſit,demōſtrem. Eum itaque ſic cenſeo vertendum:

Ex malè intellecto Canone plurima deriuata incōmoda.

Neminem eſſe abſolutè ordinādum, nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino vllum ex iis qui ſunt in ordine eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in eccleſia ciuitatis vel pagi, aut in martyrio, aut in monaſterio,is qui ordinatur publico edicto aſſignetur.Eos autem

Textus canonis.

tem qui abſolutè ordinantur, ſtatuit ſancta ſynodus habere talem irritam manus impoſitionem, & nunquam poſſe operari, ad probrum eius qui ordinauit. Hactenus ſunt verba canonis. Atq; in principio quidem mihi cum veteri interprete bene conuenit, nempe: Neminem eſſe abſolutè ordinandum, nec presbyterũ nec Diaconum. Sed videndum eſt primùm quid ſibi velit Ordinari. Ordinari autem dicimus quod Græcè χειροτονεῖσθαι· χειροτονεῖν autem, ſi ſpectetur vocabuli propria ſignificatio, nihil eſt aliud quàm manum in altũ extollere & expandere. Quoniam autem quæ populi ſuffragiis olim fiebat magiſtratuũ electio, fiebat ſublatis manib⁹: hinc fit vt χειροτονεῖν eligere, & χειροτονεῖσθαι eligi frequenter ſignificet. Rurſus quoniam ſublatis & extenſis manibus concipiũtur preces ab Epiſcopo in ordinatione ſeu cõſecratione, hinc

Ordinari quid.

Electio magiſtratuum fiebat ſublatis manibus.

ſit vt χειροτονία frequenter accipiatur prò χειροθεσία, id eſt, manuum impoſitione.

Theodorus Balſamon Canonũ interpres.

Vtranque huius vocabuli ſignificationem notat Theodorus Balſamon, canonum apud Græcos egregius interpres, in ſuis commentariis in Canones Apoſtolorum, cùm in primo canone χειροτονίαν ſignificare dicit electionem, in ſecũdo autem manuum impoſitionem. Ea autem manuum impoſitio à Diuo Paulo in epiſtola prima & ſecunda ad Timo. dicitur

Act. cap. 13.

χειρῶν ἐπίθεσις, in canonibus autem Græcis compoſito vocabulo dicitur χειροθεσία, quę à pluribus quidem poteſt fieri, vt Paulo & Barnabæ ad opus à Domino ſegregatis, leguntur prophetæ & doctores Antiochiæ manus impoſuiſſe: & Paulus & Barnabas dicuntur per ſingulas ciuitates presbyteros conſtituiſſe: vbi Gręce eſt χειροτόνησαν, id eſt, creaſſe impoſitis manibus. Ab

vniuerſo

vniuerſo autẽ populo imponi nõ potuiſſe manus,eſt euidentius q̃ vt hic ſit dicendũ. Quod autem dux quidã hæreticorũ,qui noſtrã oppugnãs hierarchiam,quã vtinam tã ædificaret charitas,quàm falſa inflat ſciẽtia,ex hoc loco vult oſtẽdere propter χειροτονίας vocabulũ,miniſtros Eccleſiæ creãdi poteſtatẽ ita eſſe penes populũ, vt in ea Epiſcopo nihil loci ſit omnino relictũ. Quàm fallatur poteſt ex hoc quiuis intelligere, ꝙ cũ in principio canonis ſit χειροτονῆσαι, in fine canonis ſit ἄκυρον εἶναι τοιαύτην χειροθεσίαν, id eſt irritam eſſe talem manuum impoſitionẽ, quæ quidem in populum minimè poteſt cadere. Quamobrem cùm χειροτονία & χειροθεσία in hoc loco pro eodem vſurpetur, eſt euidens χειροτονίαν nõ ſignificare in hoc loco, populi electionẽ. Neque enim χειροθεσία idem ſignificare poteſt quod χειροτονία, ſi accipiatur χειροτονία pro ea ele-

Fallũtur qui miniſtros eccleſiæ creãdi poteſtatẽ penes populũ eſſe volunt.

ctione quæ à populo fit ſublatis manibus. Sed vtrunque idem ſignificat ſi ponatur pro manuum impoſitione: in qua ſignificatione accipi quandoque χειροτονίαν docet is quem dixi Theodorus Balſamon. Neque verò aut volo aut poſſum negare Sacerdotes aliquando electos fuiſſe à populo, quod concilij Antiocheni canone xiij. fuit iuſtis de cauſis abrogatũ: Sed populi tantùm erat electio quæ ἐκλογὴ dicitur: χειροτονία autem, ſeu χειροθεσία, id eſt manuũ impoſitio & ordinatio erat tantùm Epiſcoporum. Et tum demũ rata firmáque & abſoluta erat ordinatio, cùm electo manus fuerat impoſita, à tribus quidem Epiſcopis, ſi electus fuerat Epiſcopus, vno autem, ſi presbyter aut Diaconus. Quanquam autem in concilio illo Laodiceno adempta ſit populo Sacerdotes eligendi poteſtas, propterea quòd eam vſur

Sacerdotes aliquã dò electi à populo.

paue-

pauerant, eáque nimis inſolenter & ſeditiosé abutebantur: eis tamen adhuc licebat, quod ſemper licuit, intereſſe Sacerdotum ordinationi. Coram omni ſynagoga, inquit diuus Cyprianus, iubet Deus cōſtitui Sacerdotem, id eſt, inſtruit & oſtēdit ordinationes Sacerdotales, non niſi ſub populi aſsiſtentis cōſcientia fieri oportere: vt plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum prædicentur merita, & ſit ordinatio iuſta & legitima, quę omnium ſuffragio & iudicio fuerit examinata. Ex his autem verbis Cypriani facile poſſumus intelligere id quod prius ab ipſo dictum fuerat, ipſam plebē maximam poteſtatē habere, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi, in eo ſitā fuiſſe, quòd licebat cuilibet ex populo, ſi quod poſſet, crimen ordinando obiicere. Quòd ſi videretur ordinandus

Cypr. epi. lib. 1. epiſtola 4.

nulli eſſe culpæ affinis, atq; adeò omni exceptione maior, is cenſebatur omnium ſuffragio & iudicio electus. Quod poſſumus etiam facilè intelligere ex concilij Carthag. canone xxij. quo cauetur vt Epiſcopus ſine conſilio clericorum ſuorum non ordinet, ita vt ciuium aſſenſum & conniuentiam & teſtimonium quærat. Eſt autem conſentaneum eam ordinandi rationē acceptam ab Apoſtolis, cùm & ſcribat Paulus in epiſt. ad Timotheum j. oportere Epiſcopum habere bonum teſtimonium ab iis qui foris ſunt: & Lucas dicat, quando electi fuerunt ſeptem Diaconi, Apoſtolos dixiſſe multitudini, Conſiderate fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptē. Nec aliud putandum eſt ſignificare Leonem Pontificem ſanctiſsimum, cùm dicit: Nulla ratio ſinit vt inter Epiſcopos habeantur qui nec à

Diſt. 22. Epiſcopus ſine.

Act. 7.

Cap. Nulla. 62. di.

Cle-

Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à cõprouincialibus Epiſcopis cum Metropolitani iudicio conſecrati. Et rurſus, Vota ciuium, teſtimonia populorum, honoratorũ arbitrium, electio Clericorũ in ordinationibus Sacerdotũ conſtituantur. Neq; enim conuenit plebem tunc liberam habuiſſe electionem, cùm quæ ab ea fuerat vſurpata, Laodiceno concilio aliquot antè ſeculis fuerat abrogata. Licuiſſe autem ordinandos accuſare, patet ex Lampridio in Alexãdrum, & ex cxxiij. nouella Iuſtiniani. Plebs ergo hanc ſolam habebat poteſtatem dicendi, an ordinandus dignus ei videretur an indignus. Cuius rei in hodiernũ vſque diem quoddam remanet veſtigium, cùm in ſacris ordinationibus rogantur ii qui interſunt, ordinandus ſitne dignus: reſpondet autem quiſpiam tanquã plebis nomine,

Can. Vota 63. diſt.

Quæ res maxime neceſſaria ad populũ in officio continendum.

Vnde dicta ordinatio.

Abſolutè ordinatus

eſt dignus. Quod vtinam tam ſeriò ageretur, quàm nihil eſt hodie magis neceſſarium ad populum in officio continendum, quàm ſuo munere dignos eligi miniſtros Eccleſiæ. Ex his omnibus arbitror ſatis patere, χειροτονίαν idem eſſe quod χειροθεσίαν, vtrumque autem latinè dici vel manuum impoſitionem, vel ordinationem. Ordinationem autẽ ideo dici arbitror, quòd hi quibus manus imponũtur ab Epiſcopis, à laicis ſegregati cooptentur in ordinem eorum qui ſunt Deo conſecrati. Sed nimis multa diximus de ordinatione, videamus reliqua. Quid ergo ſequitur? Abſolute ordinandũ, quod Græcè eſt ἀπολελυμένως. Abſolutè autẽ dicitur ordinatus, qui nulli certo loco eſt aſsignatus, in quo ſuo fungatur officio, vt paulo poſt dicet apertius. Deinde ſequitur: Nec presbyterum, nec diaconum, nec omnino illum

lum ex iis qui ſunt in ordine eccleſiaſtico. Ita enim mihi potius videtur vertẽdum quod Græce eſt, μήτε ὅλως τινὰ τῶν ἐν τῷ ἐκκλησιαστικῷ τάγματι, quàm vt verterat vetus interpres, nec quemlibet in eccleſiaſtica ordinatione cõſtitutum. Hic videtur ſe offerre locus tractandi de ſacris ordinibus: ſed quoniam id eſſet prolixius, & vel iuſtũ librum requireret, in præſentia omittemus. Hoc tantum ſilentio non duco prætermittendum, tempore Apoſtolorũ fuiſſe quidem duos ordines, presbyterorum ſcilicet & Diaconorum: ex presbyteris autem eligi ſolitum qui vtriſque præeſſet, nempe epiſcopum, cuius ordo, dignitas & munus, vt à presbyterorum ordine erat ſeparatũ, ita lõge erat excellentius: mox autem atque adeo ipſorum Apoſtolorum tempore, vt ex eorum patet canonibus, & ex epiſtolis diui Ignatij, cùm

Temporibus Apoſtolorum duo fuerunt ordines.

Dignitas Epiſcopi excellentior quàm Presbyteri.

maiorem in modum creſceret Eccleſia, Hypodiaconos & cæteros minores ordines iis acceſsiſſe. Ordinabantur autem ij omnes ex clericis qui erant totius Eccleſiaſtici ordinis veluti quoddam ſeminarium. In clericorũ autem numerum non alij referebantur, quàm qui conſtituerant, ſe totos dicare miniſterio Eccleſiæ. Ij autem gradatim prouehebantur ad munera Eccleſiaſtica: & diſertè cautum erat ne clerici per ſaltum promouerentur. Ex quo autem cœperũt paſsim creari clerici, nec in iis creandis ea ſpectarunt Epiſcopi, vt ex iis rectè inſtitutis ſuppeteret eorum copia quos ordinarent, & ad miniſteria eccleſiaſtica gradatim proueherent: quod quidem ex eo vſu veniſſe eſt conſentaneũ, quod res Eccleſiaſticæ quæ antea ſeparabãtur à bonis Epiſcopi, cœperint cõfundi, earúmque vſusfructus ita viſus ſit

Clerici.

ei eſſe

ei eſſe permiſſus, vt rectè eas adminiſtraſſe cenſeatur ſi ex prædiis nihil alienauerit, & de reditu & oblatione fidelium deſierint fieri quatuor portiones, quarum vna conferebatur in vſus clericorum. Remanſerunt quidẽ adhuc primi minores ordines, quos optet neceſſe eſt qui prouehendus eſt ad presbyterium, & citra quos non pateat ad maiores aditus, ſed eorum officium ac munus quo fungebantur omnino exoleuit. Quo fit vt ſoli tres ſint hodie ordines qui munera obeãt quæ eis imponuntur in ordinatione, nẽpe Hypodiaconi, diaconi, & preſbyteri. Quanquam ſæpe etiam preſbyteri eorum vicem gerãt, cùm pauci inueniantur Hypodiaconi & Diaconi, qui non habeant, vel ſaltem ſe habere ſimulent titulum propter quẽ ſunt paulo poſt ordinandi presbyteri. Sunt itaque minores quidem ordi-

nes ſacri vt ad ſacrum deputati miniſterium, etſi non ſit vſitatum eorum officium. Atque quale quidem ſit eorum omnium officium ac munus nõ eſt quòd hic explicem, cum id in canonibus nulli non ſit obuium. Sed nõ poſſum ſatis mirari quid nonnullis fanaticis hoc noſtro infœlici tempore in mentem venerit, vt propter conceptum in ſacerdotes odium, presbyteris ſeu ſacerdotibus id adimant, citra quod ſacerdotis nomen non poſſit conſiſtere. Quis enim dicendus eſt ſacerdos qui non ſacrificet? Presbyteros & epiſcopos verbo & ſacramentorum adminiſtrationi dicunt oportere incũbere, ſacrificare negãt. Quaſi verò non idem ſit ſacramentum & ſacrificium, ſed diuerſa ratione conſideratum: aut percipere ſacramentum Euchariſtię, nõ ſit eſſe participem hoſtiæ, quæ fuit pro nobis mactata & oblata?

Sacerdos quis.

Sacramẽtũ & ſacrificium idem eſſe, ſed diuerſa ratione

oblata? Quoniam autem tota huius
rei ex hoc pēdet controuerſia,an Eu-
chariſtia ſit ſacrificium, eam ego eſſe
verum & vnicū perpetuúmque im-
molati pro totius mūdi peccatis Chri
ſti ſacrificium, & ex verbis Chriſti a-
pertè probari poſſe aſſero,& hāc fuiſ-
ſe perpetuam à tempore Apoſtolorū
per manus traditam ſacrificandi con-
ſuetudinem profiteor. Papiſtam me
quantum lubet appellent: malo ego
cū Ignatio, Iuſtino, Origene, Baſilio,
Chryſoſtomo,Hieronymo,Ambro-
ſio, Auguſtino, Gregorio, & denique
cū omnibus Eccleſiæ Chriſtianæ do-
ctoribus tam Græcis quàm Latinis,
quos omnes Euchariſtiam ſacrificiū
appellaſſe vel inuiti fateantur neceſſe
eſt,ſentiendo,Papiſta appellari,quàm
à communi totius Eccleſiæ conſenſu
recedendo,iure dici hæreticus. Quā-
quam autem ſit presbyteri munus ſa-

crificare, & ſacramenta adminiſtrare:abſit tamen vt in hac ſim ſententia vt exiſtimem verbi prædicationẽ & doctrinam in presbytero non maximè requiri, preſertim cũ diuus dicat

1. ad Timoth. c. 5.

Paulus in Epiſtola prima ad Timotheum, duplici honore eſſe dignos qui bene præſunt presbyteros, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Sunt ergo plurimi quidem facien di Sacerdotes, qui verbum Dei prædicant & docẽt, non ſunt tamen reiiciendi qui ſacramenta adminiſtrant & ſacrificant, quod quidem conſtat eſſe proprium munus Sacerdotis. Fal-

Sua in hodiernum vſque diẽ Diacono relicta eſt functio.

luntur etiam cùm dicũt, nullum hodie Diacono relictũ munus nullámque functionem. Id autem ex eodem errore proficiſcitur. Nã cùm iſti omnino tollant altaris ſacrificium, quod nobis commune eſt cum Græcis, Armeniis, Æthiopibus, & quicunque

vbique

vbique terrarum cēſentur Chriſti nomine. Diaconi autem opera maximè in eo verſetur vt ſacrificanti Sacerdoti inſeruiat, ablato ſacrificio, Diaconi quoque munus intercidat neceſſe eſt. Quod ſi maneat, vt re vera manet, altaris ſacrificium, & ſemper eſt manſurum, Diaconi ſimul munus maneat neceſſe eſt. Quomodo autem probari poterit in primitiua Eccleſia Presbytero ſacrificanti Diaconum miniſtraſſe? Prodeat diuus Ignatius qui his verbis ſcribit ad Heronem Antiochenæ Eccleſiæ Diaconum: Sine Epiſcopis nihil agas, Sacerdotes enim ſunt, tu verò miniſter Sacerdotũ. Illi enim baptizant, Sacerdotium agunt, ordinant, manus imponunt, tu verò eis miniſtras, ſicut ſanctus Stephanus Iacobo, & cæteris presbyteris. Hieronymus prodeat & diuus Chryſoſtomus qui in actis Apoſtolorum

In primitiua Eccleſia preſbytero miniſtrabat Diaconus ἱερουργῶσι.

ſcribit diuerſos fuiſſe Diaconos, eos qui electi ſunt vt menſis inſeruirent, eos qui deſeruiunt myſteriis. Quam Chryſoſtomi ſententiam ſequēs ſexta ſynodus in xvj. capi. ita ſtatuit:

Quoniam libri Actorum tradunt ſeptem Diaconos fuiſſe electos ab Apoſtolis, patres autem ſanctæ ſynodi Neocæſarienſis in canonibus à ſe editis, aperte dixerant ſeptem debere eſſe Diaconos, ſecundum canonem, etiam ſi ſit nō valde magna ciuitas, id autē perſuaſum iri ex libris actorum. Nos autē dicto apoſtolico ſenſum patrum accōmodantes, inuenimus eos eſſe oculos, nō de viris qui ſeruiūt myſteriis, ſed de miniſterio quod exhibebāt menſis. Deinde cùm citaſſet verba actorū, ſubiungit verba Chryſoſtomi quæ ſic habent: *Eſt mirum quemadmodum nō fuerit ſciſſa multitudo ob virorum electionem, quemadmodum nō ſunt Apoſtoli ab ipſis reprobati. Quānam autem iſti habuerint dignitatem, & quam acceperint*

rint

rint ordinationem dicere neceſſe eſt. Num Diaconorum? Atqui hoc non eſt in Eccleſiis, ſed Presbyterorum eſt ea diſpenſatio. Atqui nondum vllus erat Epiſcopus, ſed ſoli Apoſtoli. Vnde nec Diaconorum nec Presbyterorum eſſe nomen eſt euidens. Propterea ergo nos quoque prædicamus prædictos ſeptem Diaconos, non ſumi pro iis qui miniſtrant myſteriis, ſed eos fuiſſe quibus commiſſa erat cura diſpenſandi ea quæ erant neceſſaria iis qui erant congregati: qui quidem fuerunt nobis exemplar exercendæ humanitatis & curæ in pauperes.

Ex quibus quidē verbis diui Chryſoſtomi facile poſſumus colligere, vel ſi vera eſt eius ſententia, diſtincta fuiſſe olim munera Diaconorum, qui Eccleſiæ prouentus diſpenſabant ac diſtribuebant, & Diaconorū qui ſeruiebant myſteriis: vel ſi non erant diſtincta, nec verum eſt quod dicit, ſed vt miniſtrarent menſis electi dicun- *Diſtincta erant munera Diaconorum.*

tur Diaconi, quod in ſacroſancta mē-
ſa Euchariſtiam populo porrigerent,
ad cuius conſecrationem, ipſi etiam
ſacrum calicē Sacerdoti porrigebant.
Hoc certè conſtabit in primitiua Ec-
cleſia Diaconos non ſolùm admini-
ſtraſſe facultates Eccleſiæ, ſed etiam
ſeruiiſſe myſteriis. Quinetiam ex ca-
Can. 35. nonibus Apoſtolorum & ex concilio
Antiocheno, quæ iubent Epiſcopi po
teſtate omnia pauperibus diſpenſari
per Presbyteros & Diaconos, & coër
ceri Epiſcopos qui ſine presbyterorū
& Diaconorum conſcientia res Eccle
ſiæ pertractant, clarè perſpici poteſt,
aliud fuiſſe munus Diaconorū, quàm
diſpenſare prouentus Eccleſiæ. Nam
cùm diſtinctum fuiſſe Presbyteri &
Diaconi munus, ne ipſi quidem ne-
gēt, in hac autem diſpenſatione Preſ-
byteros & Diaconos ſimul coniun-
gunt canones, ſi Presbyteri aliud eſt
munus

munus quàm Eccleſiæ facultates diſpẽnſare, de Diaconi quoque munere idipſum dicendum eſt. Quod quidem ſpirituale eo vel maxime nomine dicendum eſt, quòd ſacrorũ miniſterio ſuam dicet operam. Neque verò exiſtimandum eſt magis fuiſſe ſanctam Eccleſiæ prouentuum adminiſtrationem, quàm Euangelij ad populum lectionem, & ad precandum exhortationem, & ſacri calicis in ſacrificio altaris porrectionẽ. Quanquam minimè miror ſi eam falſam induerunt perſuaſionem. Cùm enim de cœna Domini adeò peruersè impiéque ſentiant, vt verum corpus & ſanguinem Domini non eſſe affirment, nec pro peccatis noſtris in ea Deo offerri æternum immolati Chriſti ſacrificium dicere non dubitent, eſt eorum quidem cœna eiuſmodi, vt nihil venerãdum, nihil nõ commune & pro-

ſanum in ſe contineat. Presbyterorũ autem munus in hoc maximè differre à munere Diaconi, quòd cùm Diaconus tantum miniſtret, Presbyter ſacrificium offerat, patet apertiſsime ex xiij. Can. Synodi Nicenæ, cuius hæc ſunt verba, *Peruenit ad ſanctum Concilium, quod in locis quibuſdam & ciuitatibus, Presbyteris Euchariſtiam Diaconi porrigunt. Hoc neque regula, neque conſuetudo tradidit, vt ij qui offerẽdi ſacrificij non habent poteſtatem, iis qui offerunt corpus Chriſti porrigant.* Quo in loco Gręce eſt προσφέρειν, quod offerre ſignificat. Quo magis mirandum eſt inueniri hodie hominéſne dicã, an cacodęmones, tã emotæ mentis, vt ſibi fidem potius haberi velint noua quædam cóminiſcentibus, quã trecentis xviij. patribus ex toto orbe terrarum in Chriſti nomine congregatis, quos certũ eſt non ignoraſſe quęnam eſſet traditio Apoſtolorum,

ſtolorum,& quis mos totius Eccleſię. Sed pergamus explicare cætera. Sequitur, Niſi ſpecialiter in Eccleſia ciuitatis vel pagi, aut in martyrio, aut in monaſterio is qui ordinatur, publico edicto aſsignetur. Attēdite quæſo auditores. Hic eſt enim locus qui infideliter & infœliciter verſus Chriſtianę Reip. tantā attulit calamitatem, vt Eccleſiaſticam diſciplinā propemodum euerterit. Sic enim vertit vetus interpres, Niſi manifeſtè in Eccleſia ſuæ ciuitatis, ſiue poſſeſsionis, aut in martyrio, aut in monaſterio, hic qui ordinatur, meretur publicæ ordinationis vocabulum. Atque primū quidem in hoc errauit interpres, quòd id quod Græce eſt ἰδικῶς vertit, manifeſtè, cùm vertendum eſſet, ſpecialiter. Deinde eo quod & in Eccleſia ciuitatis, addidit ſuę, cum id non ſit in Græco, & quod Græce eſt κώμης, vertit poſ-

Canon infœliciter verſus Eccleſiaſticam diſciplinã ferè euertit.

ſeſsionis,cũ dicẽdũ,eſſet,pagi. Poſtremo quod Græce eſt ἐπικηρύττοιτο, vertit mereatur,publicę ordinationis vocabulũ,cũ vertẽdũ eſſet, publico edicto ſeu potius præconio aſsignetur. Sed quænã,inquies,ſunt ea quæ ex errore interpretis in Chriſti Eccleſiã deriuata ſunt incõmoda?Sũt ea,ita me Chriſtus amet,maxima, & quibus niſi aliquid remedij afferatur, magnopere verendũ eſt ne miniſtros Eccleſię ſint impẽdẽti ruina inuolutura. Atq; primùm quidẽ cùm in lege ſit in primis attẽdendũ, quænã ſit mens legiſlatoris, & quidnam ad legem ferendam eum impulerit, effecit hæc mala verſio, vt à ſcopo ſanctorũ patrum, qui hunc pulcherrimum canonem ediderunt, toto, quod aiunt, cœlo aberraretur. Quid enim hoc Canone cauetur? Vt nullus Presbyter, nec Diaconus, nec vllus ex iis qui ſunt in ordine

Quid ſit in lege im primis attẽdendũ.

dine eccleſiaſtico abſolutè ordinetur: ſed is qui ordinatur, publico edicto aſſignetur eccleſię ciuitatis aut pagi, aut martyrio, aut monaſterio. Quænam autem fuit cauſa huius Canonis? Ego quidē arbitror eā facilè poſſe elici, tā ex iis qui antea, quā ex iis qui poſtea editi ſunt Canonibus. Ea autē eſt, vt ſicut certū munus erat eis impoſitū, ita etiam certus locus eſſet conſtitutus, in quo ſuo fungerētur officio, &, vt eſt in prouerbio, Spartam quam nacti erant, ornarent. Atque operæ pretium quidem eſt videre, quantum laborarint noſtri maiores, vt Eccleſiæ miniſtri ſe ſuis cōtinerent finibus, nec in alienos inuaderent. Hinc conſtitutę fuerunt diœceſes & parœciæ, à quibus ne Epiſcopi, Presbyteri & Clerici diſcederent fuit ſemper pulcherrimè decretum. Teſtatur id xiiij. Canon Apoſtolorū, qui non permittit Epiſco-

Decretū olim fuit ne Epiſcopi à ſua diœceſi diſcederent.

po, ſua relicta parœcia in alienam trã-ſire, etiamſi cogatur à pluribus, niſi ſit iuſta cauſa quæ eum cogat id facere, vt qui poſsit iis qui illic ſunt pietatis verbo plus conferre, neque id ex ſeipſo, ſed multorum Epiſcoporum iudicio & maxima adhortatione. Teſtatur etiã eorundem Canon xv. qui prohibet Presbyterũ & Diaconum, & quemcunque ex iis qui relati ſunt in numerum Clericorum, ſua relicta parœcia in aliam tranſire inuito Epiſcopo. Quod ſi fecerit, ſuum munus ne amplius obeat, & communicet tãtum inter laicos. Teſtatur eorundem Canon quoque xxxj. qui deponi iubet Presbyterum, qui ſeorſum ab Epiſcopo cœtus coëgerit, & altare contra altare fixerit. Cui ſuffragatur quintus quoq; Canon Synodi Antiochenæ, quo idem omnino ſtatuitur. Cauetur autem eius quoque vndecimo

Canone

Canone id quod eſt longe maius, vt nec Epiſcopus quidem, nec Presbyter ad Imperatorē audeat proficiſci contra voluntatē & abſque literis Epiſcoporum prouinciæ, & maximè Metropolitani. Cùm hæc ante Chalcedonenſem Synodum fuiſſent conſtituta, nec ea tamen ſufficerent ad continendum in officio miniſtros Eccleſię, propterea quod etſi à Synodo Nicena fuerat conſtitutum, vt Epiſcopus vel Presbyter qui à ſua Eccleſia in aliam tranſiiſſet, ſuæ reſtitueretur in qua fuerat ordinatus: facile tamen erat Canonē circunſcribere: cùm nullo adhuc Canone cautū eſſet ne Preſbyterum aut Diacorum liceret abſolutè ordinare, contra Synodi Nicenæ Canonem fortaſſe non feciſſe, licet in certo ac præſtituto loco ſe non continuïſſet, videri potuiſſet Presbyter aut Diaconus, ſi modo intra parœciæ

ſeu diœceſis fines ſe cõtinuiſſet in qua fuerat ordinatus, cùm tota diœceſis & parœcia dici poſsit Eccleſia. Vt omnis ergo tolleretur dubitatio,& canoni fraudis faciẽdæ omnis ratio excluderetur,diſertè & dilucidè hoc noſtro Canone cautum eſt,vt nemo abſolutè ordinetur, ſed certus locus ei aſsignetur,in quo ſuo fungatur munere. Et ne quis cauſari poſſet ſe generaliter Eccleſiæ fuiſſe ordinatum, & Canoni ſatis feciſſe,ſi modò in hoc,modò in illo loco, vt ei viſum eſſet munus ſuum obiret: videte quàm pulchrè in Canone additum ſit, ἰδικῶς, id eſt, ſpecialiter, quaſi diceret, nõ cuilibet Eccleſię ciuitatis,ſed certæ:nempe huic vel illi, non cuiuis pago, ſed certo ac definito: non cuiuis martyrio aut monaſterio, ſed ei quod fuerat nominatim expreſſum. Porrò autem ne quis poſſet vllum afferre præ-

Expoſitio aduerbij, ἰδικῶς.

textum

textum ignorantiæ, & deſerendi muneris aliquá fictam aut falſam cauſam quærere, vult publico edicto ei ſignificari quo in loco, ſuo ſit munere functurus. Vt autẽ facilius ac melius ſeruaretur quod hoc canone fuerat cõſtitutũ, octauo quoq; hui⁹ ſynodi canone cautũ eſt, vt Clerici Ptochotrophiorũ, monaſteriorũ & martyrioum ſint in poteſtate Epiſcoporum vniuſcuiuſque ciuitatis, neque per inſolentiã ſe à ſuo Epiſcopo ſeiungãt. Et rurſus decimo ſtatuitur, nõ licere eodem tẽpore referri in numerum Clericorũ duarum ciuitatum. Si quis verò fuerit tranſlatus ab vna Eccleſia in aliam, nihil commune habeat, cum rebus prioris Eccleſiæ, aut martyriorũ, aut Ptochotrophiorum, quæ ſunt ei ſubiectæ. Sin contra fecerint, ſuo gradu moueãtur. Vigeſimo autem canone vna ſola datur exceptio, nempe ſi for

8. Can. ſyn. Chal.

10. Can. ſyn. Chal.

20. Can. euſdem.

tè amiſſa patria Clericus, in aliam ſit
1.Syn. Nic.2. tranſlatus. Secundæ quoque ſynodi Nicenæ canon primus, magnam adhibens cautionem ne ſynodi Chalcedonẽ. Canon vlla cauſa aut prętextu circunſcriberetur, ſcriptus fuit his verbis, *Quoniam nonnulli ex Clericis contra canonicam facientes conſtitutionem, relicta ſua paræcia excurrunt in aliam paræciam, plurimùm autem in hac regia ciuitate, & apud Principes reſident, eos citra ſui Epiſcopi & Epiſcopi Conſtantinopolitani conſenſum, non licet in vllam ædem admitti aut Eccleſiam. Quòd ſi hoc pergant facere, deponantur.* Eiuſdẽ quoq; canon xv. eſt pulcherrimè ſcript⁹ his verbis: *Clericus deinceps ne ordinetur in duabus eccleſiis. Eſt enim hoc mercaturæ & turpis quæſtus proprium, & ab Eccleſiaſtica conſuetudine alienum. Ex ipſa enim voce Domini audiuimus: Neminem poſſe duobus dominis ſeruire. Aut enim vnum odio habebit*

bebit, & alterum diliget, aut vnum amplectetur & alterum cõtemnet. Vnuſquiſque ergo ſecundum vocem Apoſtolicam, in quo vocatus eſt, in eo debet manere, & in vna reſidere Eccleſia. Quæ enim propter turpe lucrum fiunt in rebus Eccleſiaſticis, à Deo ſunt aliena. Ad ea autem quæ ſunt ad victum neceſſaria, varia ſunt exercitia. Ex iis ſi quis velit ea quæ ſunt ad vſum corporis, dixit enim Apoſtolus: Quæ erant mihi neceſſaria, & iis qui ſunt mecum ſubminiſtrarunt hæ manus. Et hæc quidem in hac à Deo cuſtodita ciuitate. In illis autem quæ ſunt extra ciuitatem, concedatur propter defectum hominum. Ex his facilè poteſt intelligi quænam fuerit cauſa huius canonis. Viderunt ſancto ſpiritu afflati patres, nec eſſe honeſtũ, nec Eccleſiæ vtile, vt qui munera ſuſceperunt Eccleſiaſtica, incertis propè vagentur ſedibus, & quæ fuit eis credita, Eccleſiæ adminiſtrationem ſuo ar-

bitratu deſerãt. Vnum ergo hoc ſpe̅ctabant, vt quod munus mandauerant Epiſcopi, ij quibus erat mandatum, eo rite fungerentur, ſi ab eo loco cui erant aſsignati, nec ambitio, nec amor lucri ad alia tranſuerſos raperet. Quod quidem non eſſe vſuuenturum ſentiebant, ſi nec ab Eccleſia in qua erant ordinati, eis liceret diſcedere, & in duabus ſimul Eccleſiis ordinari non poſſent. Pulcherrimè profectò ſcriptũ reliquit diuinus ille Plato, fieri nõ poſſe vt vnus & idem multas artes exerceat, & frequenter vſuuenire, vt qui multa aſſequi cupit, is nihil omnino aſſequantur. Hoc quidem certe quotidie experimur magno malo reipub. Chriſtianę euenire, vt quibus vna non ſufficit Eccleſia, ij nullam, vt par eſt, adminiſtrent, imò ne adminiſtrẽt quidem. Quanquam autẽ non liceret per canones, nec Epiſcopo,

Nemo multas artes ſimul exercere poteſt.

ſcopo, nec Presbytero, nec Diacono nec cuilibet ex ordine Eccleſiaſtico, à ſua Eccleſia trãſire ad aliam: ſi tamen vel neceſsitas, vel vtilitas poſtulabat vt ex vna migraretur in aliam, poterant non quidem ſuo arbitratu, ſed Epiſcopus, cgõregata ſynodo, Clericorum & Laicorum decreto porrecto Epiſcopis, & in eius locum ſurrogato Epiſcopo; inferioris verò gradus Sacerdos vel Clericus, cõceſsione ſui Epiſcopi, ad aliã Eccleſiam transferri. Quæ quidem mutatio ac migratio tum demum videbatur omnibus ſuis numeris perfecta & abſoluta, ſi ſedis Apoſtolicæ veluti quidã Colophon ei acceſsiſſet conſenſus in maioribus ordinibus: nam in inferioribus is minimè erat neceſſarius. Atque videbatur quidem hac ratione pulcherrimè conſtituta reſp. eccleſiaſtica, cùm & ij munera obirent qui in ordinem erãt

c. Placuit & . ca. ſi quis 12. c. Epiſcopus 7. q. 1.

c. Mutationes, & cap. Scias ibidem.

cooptati, ordinatione quidem Epiſcoporum ſi maiores erant Sacerdotes, Epiſcopi verò, ſi minoris erãt gradus, aut Clerici, ſed non niſi diligens pręceſsiſſet examinatio: qui autẽ munera ſuſceperant, ea certo ac conſtituto loco ad quem ordinati ita obibãt, vt ea nũquam deſerere nec ad alium locũ migrare poſſent, niſi euidẽs vel neceſſitas vel vtilitas id poſtularet, quę vel prouinciali Epiſcoporũ concilio quod ſecũdo quoque anno ſemel conueniebat, vel ab Epiſcopo in ſua quibus fit quotannis ſynodo fuiſſet approbata. Videbatur itaque nihil poſſe eiuſmodi accidere, quod hanc diuiniſsimè conſtitutam eccleſiaſticę adminiſtrationis formam poſſet labefactare, cum ecce hic canõ malè verſus, & ideo non ſatis intellectus, eam, nolo dicere, euertit, ſed valde quidẽ certè afflixit, & loco ac gradu ſuo mo

uit, quod & clare perſpiciamus. Age, videamus parumper quid incõmodi Chriſti eccleſię attulerit, κώμης malè verſum vocabulum. Verſum enim eſt poſſeſsionis, cum dicendum ſit pagi. Neque verò ſatis poſsũ mirari quidnam ſecutus vetus interpres ita verterit: niſi pro κώμης, legerit νομῆς vt ſuſpicatur doctiſsimus iuris cõſultus F. Duarenus, quanquam ſi legerit νομῆς, cui tamen lectioni refragãtur omnia Græca exemplaria, non eſſe vertendum poſſeſsionis ex hoc cõſtat, quod poſſeſsio apud Latinos, vel rei alicuius ſignificet detentionem, vel aliquod prędium. Neutrum autem eſt eiuſmodi, vt propterea dici poſsit Presbyter vel Diaconus non abſolutè ordinatus, cũ abſolutè ordinetur, qui non certo loco aſsignatur in quo ſuum munus obeat, vt pote Eccleſiæ ciuitatis, vel martyrio, vel monaſterio. Martyrium

κώμη Pagus debet verti.

Quid ſit poſſeſsio.

Quid o-

lim fuerit martyrium. autem, vt hoc interim dicam, videtur fuiſſe aliquod ſacellum aut oratoriũ, in quo ſitæ erant multorum Martyrum reliquiæ, cuiuſmodi forte olim ædicula Aureliæ ſita propter magnũ Cœmiterium, quæ etiam adhuc lingua noſtra nomen videtur retinere. De monaſterio autem hoc tãtùm dicam. Olim Monachi cùm in Ægypti & Syriæ & aliorum regionum degerent ſolitudinibus, bis ſingulis hebdomadis, nempe ſabbato & die dominico conueniebant ad percipiendum ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum, vt licet videre & apud diuum Hieronymum, & apud Euagrium in Hiſtoria Lauſiaca, & Theodoretum in hiſtoria religioſa, quos nos haud ita pridẽ Latinè vertimus. Quo quidem tempore vnus illis ſatis erat Sacerdos aliunde adſcitus, qui ſacrificiũ perageret, & eis ſanctã ſynaxin exhiberet

Monachi bis ſingulis Hebdomadibus cõueniebãt ad percipiẽdum Euchariſtiæ Sacramẽtum.

hiberet

hiberet, erant enim omnes laici. Poſtea autem cùm & à Diuo Baſilio & deinde à Diuo Benedicto redacti fuiſſent ad ciuiliorem viuendi rationem, cœperunt plures etiam ex ſuis habere Sacerdotes, ne externa cogerentur vti opera: quod nec ſemper eis licebat, maximè cum ad ſua & ſuorum tam viuorum quàm mortuorum expianda peccata, iam plurimi viri pij magnam vim opum in Monachos contuliſſent. Sed vt ad rē redeamus, Poſſeſsionis vocabulũm ſeu alicuius rei, ſignificat aut iuſtam aut qualemcunque detentionem, ſeu fundum aut prædium aliquod, non eſt eiuſmodi vt propterea dicatur Sacerdos non eſſe abſolute ordinatus. Significat autem νομὴ non ſolum poſſeſsionem, ſed etiam prefecturam vel regionem, cuiuſmodi erăt olim τῆς Αἰγύπτου νομαὶ, id eſt Ægypti prefecturę. Patet autem prę- νομὴ quid.

fectura longe latius quam pagus. Et eo vocabulo ſignificari poteſt certus locus, cui qui ordinatur non cenſeatur abſtinere ordinatus, cùm in eo poſsit obire ſuum munus. Patet ergo quòd ſiue legerit κώμη vertendum erat pagus, ſiue νομὴ præfectura vel regio. Ex eo autem quod perperam vertit poſſeſsio, videamus queſo quid acciderit. Primum quidem non ſatis intellecta fuit ratio canonis, quo factum eſt vt etiam eius vera periret intelligentia. Nam cùm ideo factus eſſet canon vt quilibet ordinatus in certo loco ſuo fungeretur munere, ex vocabulo poſſeſsionis orta eſt falſa opinio, ideo ſanxiſſe canonem ne quiſquã abſolutè ordinaretur, vt qui ordinatur habeat vnde viuat. Hinc cùm à ſexcentis illis Concilij Chalcedonẽſis patribus damnata crederetur paupertas, factum eſt vt pro ſe quilibet eam quacun-

quacunque ratione à ſe expellendam duceret, & cum in Eccleſia eſſent ſatis amplæ facultates, ad eas aſſequendas per fas & nefas aſpirarent plurimi, de ſuo interim munere minimè ſolliciti. Non potuit profectò Chriſti Eccleſiam maior inuadere calamitas, quàm dũ victus prætextu, inſatiabilis, quæ eſt, teſte Diuo Paulo, radix omnium malorum, auaritia miniſtrorũ animis inſedit, quæ quoſlibet quo indoctiores, eò impudentiores impellit ad ambienda munera Eccleſiaſtica. Quod quidem iam ſuo tempore exoriri ægrè ferens vir ſanctiſsimus & doctiſsimus Gregorius Nãziãzenus, ita ſcribit in ſuo Apologetico: *Pudet me aliorũ, qui cùm cæteris nihilò ſint meliores, atque adeò magnum quid eſſet ſi non multo deteriores, illotis, vt dicitur, manibus & profanis animis ad res ſanctiſſimas ſe ingerunt, & priuſquam digni ſint ad*

Magna calamitas in Eccleſia.

Notatur auaritia ſacerdotum.

ſacra accedere, ſuggeſtum ſibi vindicant, & circa ſacram menſam ſe comprimunt ac trudunt, vt qui non exemplar virtutis, ſed victus parandi rationem & materiam hũc ordinem eſſe exiſtiment, neque munus rationi reddendæ obnoxium, ſed magiſtratum cuius nulla eſt examinatio. Hactenus Nazianzenus, qui quòd indigni ſe ad ordines ingerãt Eccleſiaſticos, hanc ſtatuit eſſe cauſam, quod ordinem eſſe ſtatuant victus parandi rationem & materiam. Hinc nobis profluxere tot beneficiorum collationes & de beneficijs prouiſiones, & cum eſſet prouidendum eccleſiæ, prouideretur perſonæ: & licet dicatur beneficium dari propter officium, nihil tamen minus curetur quàm officium, idémque videatur & perſonæ cui prouiſum eſt eſſe beneficium, & Eccleſię quæ à paſtore negligitur beneficium. Hinc etiam factum eſt vt cùm ex ſententia

Beneficia male conferuntur.

canonis

canonis ordinandus deberet ordinari ad Eccleſiam ſeu ad titulum, non ordinetur niſi habeat titulum. Ordinatioñe enim præcedit titulus, & priuſquam ordinetur ſemper rogatur an habeat titulum. Hinc etiam manauit tot beneficiorum indigna accumulatio, quæ cùm paſsim permitteretur ab Epiſcopis, & ideo mirandum in modum ſtatus vniuerſæ deformaretur eccleſiæ, eíque remedium conarentur afferre aliquot ſummi pontifices, dum multa quidem coniungi beneficia prohibent, ſibi autem ſoluendi à canone poteſtatem reſeruãt, grauiora reip. vulnera impoſuere. Atque primo quidem fuit eis religio tenere & citra iuſtam cauſam à canone ſoluere: poſtea autem cum & non malorum, maximè autem domeſticorũ, importunis precibus acquieuiſſent, & lucri forte plurimum ad ſe & ſuos *Solui legibus nemo debet.*

inde redire ſenſiſſent, tanta repente exorta eſt in Eccleſiaſtico ordine confuſio, vt antiquum illud chaos rediiſſe videretur. Hinc enim prodiere tot de prouidendo mandata, tot præueniẽdi rationes, tot vniones, tot reſeruationes, tot gratiæ expectatiuæ, quas vocant, tot quas appellant diſpenſationes. Diuus autem Bernardus non dubitauit vocare diſsipationes. Hinc quod à Diuo Gregorio iuſta de cauſa permiſſum ſemel tacitum fuerat vt vnus duos gereret Epiſcopatus, cœpit paſsim trahi ad exemplum. Hinc qui quandoque ad tempus, vt quod per ætatem vel morbum exequi non poſſet, Epiſcopus impleret, datus eſt coadiutor, ita dari cœpit vt eſſet hæres viuentis, quod ipſum quoque introductum eſt per eam quam vocant cuiuſmodicunque ea ſit, electionem & acceſſum, propterea quòd Diuus Auguſti-

Diſpẽſationes, diſſipationes c. Relatio 21.q.1.

c. Scripſit & c. præſentiam. 7.q.1.

Coadiutor.

Auguſtinus Valerio Hipponēſi Epiſcopo non ſucceſſerit, ſed acceſſerit. Hæc etiam fuerunt ſæpenumero Eccleſię eiuſmodi hominibus commēdatæ, vt oues lupis commiſſas eſſe dicas, cum aliquando cautum fuiſſet vt ad ſex ad ſummum menſes Eccleſiæ commendarentur, inita eſt ratio vt eſſent Commendę quas vocāt perpetuæ, maximè earum Eccleſiarum, quas, ſi Canones exactè obſeruarētur, ne poſſent quidē adminiſtrare ij quibus cōmendantur. Hinc paſsim vſurpari cœperunt beneficiorū permutationes, quæ adeo nūc videntur licitæ, vt Epiſcopatū vix aſſecutus quē nunquam adiit, meliori, id eſt, opulentiori, ſtatim poſsit permutare. Nam qui Epiſcopatum hodie deſiderat, maxima ex parte non bonū opus, ſed opes tantum deſiderat. Hinc prodierunt quæ in fauorem, & cum regreſſu,

Cōmēdæ.

Permutationes in fauorem & cum regreſſu.

artis enim vocabulis vtendũ eſt, fiunt renũtiationes ac permutationes, quibus introducta eſt in beneficiis quædam perpetua ſucceſsio. Hinc etiam effectum eſt vt cùm quiſpiam ſolutus Canone Eccleſias aliquot poſsit obtinere, amico ſuo gratificás, & nomen ſuum ei accõmodans, eam ſuſcipiat Eccleſiam, quam, vt qui nullos inde prouentus percipiat, nunquam adeat. Hinc tot, vt leuiter dicã, exorti ſunt cauponationes & nundinationes, vt ſi Chriſtus qualis olim erat in terris ad nos rediret, plurimos ſacerdotes flagris è templis expelleret, ſi modo inueniret: nonnulli enim raro, nonnulli nunquam ea ingrediuntur. Sed quid ego ea pergo enumerare, quæ nec animo poſſe complecti, nec memoria tenere lubenter me profiteor? Atque ſi Romana quidem Eccleſia quæ eſt omnium eccleſiarum

Nundinationes beneficiorũ.

magiſtra

magiſtra, in tantis Chriſtianæ reipub. malis ſe puram & integram conſeruaſſet in mandandis ſaltē muneribus Eccleſiaſticis intra fines ſuæ diœceſeos, res tota loco longè meliori ſtetiſſet. Inde enim auxilij aliquid ſperari potuiſſet, vnde tanquam ex metropoli per totum occidentem ſunt fidei Chriſtianæ deductæ coloniæ. Sed magnum profecto detrimētum ex hoc accepit eccleſia, quòd cum olim vrbs eſſet certis diſtincta regionibus, & certi eſſent in ea conſtituti in quibus ordinabantur qui ſua obirent munera, eo res ferè ſit redacta vt maxima ex parte inanes ſint omnino tituli. Deſerta enim multis in locis vrbe, quæ fuit olim vt maxima ita populo frequentiſsima, ſemel aut bis ad ſummum quotannis in Eccleſiis cōuenit populus in ijs quę vocantur ſtationibus, quod vocabulum Tertul-

Mala ab Eccleſia Romana manarũt.

Stationes.

liani iam tempore receptum fuit in Eccleſia,in ea quæ nunc eſt ſignificatione. Atque in iis quidem titulis, qui olim primum locum obtinebant,dicebantur Presbyteri & Diaconi Cardinales. Eorum autem hodie nomen quidem mãſit, munus autem & functio propemodũ intercidit, de Preſbyteris loquor & Diaconis. Epiſcopis enim Cardinalibus non deeſt populus quem paſcant. Operæpretium autem eſt videre an noſter obſeruetur canon in eorum creatione. Iubet quidem Canon neminem abſolutè ordinari. Ij verò cùm in conſiſterio,quod vocant,pontificis creati fuerint Cardinales,aliquot poſt diebus datur eis titulus,contra atque hodie alibi fit in ordinationibus. Nam alibi quidem tum demum ordinantur ſi habeant titulum. Romæ verò cùm abſque titulo ordinati fuerint,eis poſtea datur titulus

Presbyteri & Diaconi Cardinales.

titulus. Et ſæpe etiã vſuuenit vt creandus Cardinalis reſeruetur in pectore pontificis, ita enim vocant, cùm inconſultis fratribus, nempe Cardinalibus, poteſt pontifex quem velit nominare Cardinalem. Hoc rite ne fiat non eſt meum diſputare, at contra canonem quidem noſtrum fieri, videor mihi poſſe non temere pronuntiare. An autem contra canonem fiat, quòd qui in aliis locis ſunt ordinati Presbyteri aut Epiſcopi, Romæ rurſus fiant Presbyteri aut Epiſcopi Cardinales, aut qui creati ſunt Cardinales, in locis etiam remotiſsimis, & quæ ſciant ſe nunquã adituros, creentur Epiſcopi, aut alia etiam munera ſuſcipiant Eccleſiaſtica, ipſi viderint. Meo quidẽ iudicio Reginaldus Polus Ro. Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, cùm multis aliis & virtutis & doctrinæ nominibus ſit longè clariſsi-

Reginal. Polus.

mus, tum verò hoc nomine vel maximam laudem eſt aſſecutus, quòd ſibi ſæpius oblatos Epiſcopatus recuſauerit, quoniam Romæ ſimul degere & Epiſcopi officio ſe fungi non poſſe videret: nec Cantuarienſis Archiepiſcopatus munus prius ſuſceperit, quam Cantuariæ figendi ſedem libera ſibi fieret poteſtas. Videbat enim, videbat vir optimus & religioſiſsimus, religionem Chriſtianã nulla ex re maius detrimentum accipere, quàm quòd Epiſcopi gregem ſuum non paſcant: paſcere autem non poſſunt, qui cùm diuerſorum munerum diſtineãtur occupationibus, nulli poſſunt ſatisfacere. De luxu & faſtu nihil dico, in quem cum opum eccleſiaſticarum magna vis profundatur, non tantum Eccleſiæ ipſo facto nocent quantum exemplo. Atque horum quidem malorum non minima cauſa eſt

Epiſcopi nõ paſcũt gregem ſuum.

Adulatio profeſſorũ iuris pontificii.

eſt accepta ferenda nonnullis pontificij iuris profeſſoribus, qui ſummo pontifici aſſentantes & Cardinalibus, Papa eſſe ordinarium omnium ordinariorum, & nihil non poſſe ſemper habent in ore, & Cardinales Regibus æquiparantes, efficiunt vt regios ſæpe ſumant ſpiritus, & ad tolerandos ingentes ſumptus nihil quãtumuis aduerſum canonibus nõ ſibi licere perſuadeãt. Longè certè ſatius eſſet pontifici Max. à Chriſto traditam & Cõciliis confirmatam poteſtatem ita prędicare, vt interea admonerent, eam non ad eccleſiæ ruinam ſed ædificationem eſſe conuertendam, & Cardinales vt intra ſuos limites ſe continerent, & tum demum verè ſe Reges eſſe ſcirent, ſi animos regerent, & vehementioribus imperarent perturbationibus, & omnia ſua conſilia eo cõferrent, vt & ipſi rectè ſuis præeſſent.

parœciis,& pontifici perſuaderent vt ne latum quidem vnguem à veteribus diſcederet canonib9,niſi vel ſumma vrgeret neceſsitas,vel euidentiſsima alicuius eccleſiæ vtilitas. Quod quidem vt fiat cum totius eccleſiæ, tum vel ipſius pontificis maximè intereſſe,quis eſt tam cęcus qui non videat?Elapſi iam ſunt centum & quadraginta duo anni, ex quo in Concilio Conſtantienſi cœptum eſt agi de reformanda eccleſia in capite & in membris.Id cùm creato Conſtantiæ Martino pontifice Max.in aliud tempus eſſet dilatum, in Concilio Baſilienſi paulo pòſt feriò agi cœptũ eſt. Sed intercedente Eugenio, & ab eo Ferrariã primum,deinde Florentiam tranſlato concilio, cùm Baſileę fœlix eſſet creatus pontifex Max. aduerſus Eugenium,ſchiſma in eccleſia exortum, effecit vt Concilium Baſilienſe

Cõcilium Conſtantienſe.

Baſilienſe.

Sciſma exortũ in Eccleſia.

non

non vbiq; approbaretur. Cuius quanquam acta fuerunt valde laudanda, non ſunt tamen eiuſmodi, vt veterem, quod eſt in primis neceſſe, omnino reparent diſciplinam. Mirum eſt autem quòd qui hoc concilium tantis laudibus extulit Æneus Syluius, mox creatus pōtifex & Pius appellatus id improbauit. Ab eo tempore vſque ad Tridentinum, nam de Lateranenſi quid attinet dicere? nullũ fuit concilium in quo ſit aliquid perfectum, quod omnium bonorum votis maximè expetitur, de antiquis eccleſiaſticis moribus reſtituẽdis. At interea quot ſe partim corroborarũt, partim recentes exortæ ſunt hæreſes, quæ cùm inter ſe in cæteris propemodum diſsideant, in hoc quidem certè maximè conſentiunt, quod Ro. ſedem omnes oppugnant, & ad eam euertendam nullas non adhibẽt ma-

Aeneas ſyluius poſt appellatus Papa Pius.

Lateranenſe.

Tridentinum.

Omnes hæreſes ſedem Romanã oppugnant.

chinas,nullum non mouẽt lapidem. Quorum quidem falſis dogmatibus cùm facile reſiſtant Catholici, quid enim afferunt quod non iamdiu abhinc damnatum, & ex Orci tenebris ſit rurſus reuocatum, in vituperandis quidem Cleri moribus, & in ſectandis Epiſcoporum & Presbyterorum moribus ac vitiis quòd ſuum munus non rectè obeant, ſe fatentur omnino inferiores, ſe enim veris vinci agnoſcunt. Et inter Hæreticos quidem & Catholicos in hoc conuenit, quòd lapſa ſit eccleſiaſtica diſciplina, in eo autẽ diſcrepant, quòd Hæretici Hierarchiam omnem & Sacerdotalem ordinem cupiant euertere. Catholici autem vnitatem conſeruantes, deformatæ eccleſiæ vicem deplorant, & vt ea reformetur omnibus votis Deum obſecrant. Quæ niſi fiant, nolo malè ominari, ſed vereor ne hic cancer in-

Inter hæreticos & catholicos in hoc conuenit, quòd lapſa ſit Eccleſiaſtica diſciplina. Sed aliis in rebus maximè diſcrepant.

dies

dies latius ſerpat, cui tollēdo nec ferrum nec flamma ſatis fuerit. Si Adrianus quidem ſextus pontifex Max. in primis pius & doctus, tandiu fuiſſet ſuperſtes donec Ro. curiam malè vbique audiētem, quod quidē in animo habebat, reformaſſet, & impedimenta illa, quę quo minus in Lutherū animaduerteretur obſtāt, centum inquā illa Germaniæ grauamina, quæ pontificis legato in imperij conuentu, quę diætam vocant, fuere expoſita, ſuſtuliſſet, pacatam hodie & tranquillam, quantum coniici poteſt, haberemus Eccleſiam. Sed dum in Hæreticos & ſeditioſos homines qui Eccleſiæ pacem perturbāt, ſeuera, vt par eſt, ſcribuntur edicta ac decreta, de moribus verò vltima, imò verò nulla fit quæſtio, fit vt ex noſtrorum vitiorum inſectatione in vulgi aures & animos ſe inſinuantes, & deinde ſua peruerſa

Adrianus ſextus.

dogmata afferētes, facilè perſuadeāt. Quo fit vt vſque adeo creſcat eorum numerus, vt iis quorum eſt recta & ſyncera fides, incipiat iam eſſe formidádus. Sed de his hactenus. Redeundum enim eſt ad alterum quod reſtat exponēdum incōmodum, quod ortum eſt ex eo poſſeſsionis vocabulo quod eſt in veteri verſione. Ex eo enim orti ſunt iſti quos vocant patrimoniales tituli, qui nobis indoctorú & ignauorum incertíſque ſedibus errantium presbyterorum tantam peperere multitudinem, vt ex iis poſſent in externas regiones iuſtæ deduci coloniæ. Quod autem tam multi ordinentur hæc eſt in primis cauſa, quod cū ſatis iuſtus videatur titulus ad hoc vt ordinetur, ſi quis habeat vnde viuat: ſunt autem à tributis immunes ſacerdotes, ad aſſequendam immunitatem curāt plurimi ſe referri in numerum

Patrimoniales tituli indoctorū & ignauorū presbyterorū magnā pepere multitudinē.

merum

merum ſacerdotum. Sunt autem etiã plurimi, qui cum ſint vt indoctiſsimi, ita etiam omnium rerum planè egeni, ſperant ſe ſacerdotio vindicaturos in otium, & ex quotidiani ſacrificij mercedula victũ eſſe paraturos. Quibus autem vtantur fraudibus ad circunſcribendum Canonem, cum poſſeſsionis ſeu patrimonij iuſt' dicatur titulus, eſt longè euidentius quam vt ſit hoc loco dicendum. Conſtat quidem certè plurimos prædiũ aliquod ſeu ruſticum ſeu vrbanum precario tantiſper accipere dum ſacris fuerint initiati, quod re perfecta ſtatim reddant, vt qui vel iureiurando ſe obligarint, vel ei à quo acceperant ſe reddituros cauerint. Non deſunt etiam qui duodecim quãdoque iuratos teſtes producunt, qui aſſerant eorum facultates ad ipſos alendos ſufficere, cum tamen ipſi certò ſciant ſe peie-

Abuſus in presbyteris ordinandis.

rare, adeo vt quod olim apud Græcos, nunc apud ordinandos multis in locis vſurpetur illud : Da mihi teſtimonium mutuum. Quòd autem eorum teſtimonia facilè admittantur non minima quoque cauſa eſt, quòd dum Epiſcopi vices ſuas mandant quibuſdam auariſsimis, qui vocantur ſuffraganeis, ſi modo vberrimus eis quæſtus ſe offerat, in ſingulis examinandis nolunt eſſe nimium curioſi: quanquam audio nonnullos etiam eſſe epiſcopos, qui inter cæteros prouentus quos percipiunt ex Epiſcopatibus, eum quoque quæſtum referunt vel maximum quem faciunt ex ordinibus, cùm tamen in iis conferendis vicaria vtantur opera. Ex his itaque factum eſt vt ordine Sacerdotali nihil ſit hodie partim inuidioſius, partim odioſius & contemptibilius. Et in inuidiam quidem alios vocant ingentes

Epiſcopi ex ordinibus maximum referunt quæſtum.

gentes ex pluribus beneficiis quæ vocantur accumulatæ diuitiæ: alios autem in odium & contemptum adducũt craſſa ignorantia vitáq; profligatiſsima & diſſolutiſsima: quos quidẽ ſuæ nequitiæ eo minus pudere conſtat, quod cùm nullam certã habeát ſedem, eorum apud quos degunt parum aut nihil verentur exiſtimationem, vt qui mox aliò ſint migraturi ſi eis viſum fuerit, & nuſquam ſperent ſibi defuturum quod ex ſacrificio eis ſoluetur pretium. Proſtant enim vbique Sacerdotes eiuſmodi tanquam mercenarij, expectantes dum quiſpiam eos conducat. Quę quidem indignitas incogitantibus & inconſideratis hominibus magnam præbet occaſionem, vt non Sacerdotes ſolum malè audiát, ſed etiam illius vnici & iugis ſacrificij quod quotidie offertur reuerentia, proh dolor, omni-

no tollatur, cum ſanctiſsima myſteria ab indignè ea tractantibus ad quęſtum conuerti videant. Quæ omnia ſunt magna ex parte ceſſatura, ſi κώμην, vt diximus, vertamus, non poſſeſsionem vt vetus interpres, ſed pagum, vt iuſtus ſit titulus non quantuncunque patrimoniũ, ſed pagus in quo vt ſuũ munus obeat ordinetur. Nec me tamen fugit recentiores aliquot pontifices in conferendis ordinibus non aliò ſpectaſſe, quam vt qui ordinatur haberet vnde viueret, ſed in hac ſum ſententia vt exiſtimem longe melius conſultum iri Chriſtianæ Reip. ſi verus huius antiquiſsimi Canonis reuocetur vſus, qui vel nõ ſatis intellectus, vel certè non obſeruatus, longè grauiſsima inuexit incommoda. Quem quidem Canonẽ ego adeo plenè & perfectè optarim obſeruari, vt quod eodem canone decernit ſancta ſynodus,

dus,

dus, quæ ſecus facta fuerit ordinatio, ea ſit planè irrita & nullius momenti, & minimè poſsint operari qui abſolutè ordinantur, ad probrum eius qui ordinauit. Non autem quod poſtea recentiores pontifices, in aliquot decretalibus epiſtolis, voluerunt valere quidem ordinationem, ſed ordinatum ab Epiſcopo alendum, donec beneficio collato ei prouiderit. Meo enim iudicio plus ſemper debent habere auctoritatis quæ à plurimis à ſancta ſpiritu congregatis patribus, inter quos ſunt etiam qui vicem gerunt ipſius pontificis, fuerunt conſtituta, quàm pontificum reſcripta quæ ſubinde mutãtur, & tempori & perſonis quandoque ſeruire non abs re indicantur. Apud me quidem non poteſt non magnũ habere pondus illud pręclarũ Zoſimi pontificis dictum: Cõtra ſtatuta patrum contẽdere aliquid *Zoſimus Pontifex.*

vel mutare ne huius quidem ſedis poteſt auctoritas. Cui dicto ſi poſteriores paruiſſent pontifices, in tot forte calamitates minimè incidiſſemus.

Quo modo Eccleſiæ ſtatus veterem ſuſcipiat formam.

Reſtat nunc vt explicemus quemadmodum fieri poſsit vt hic canon hodie tantopere deformatus, veterem quidem, ſed iam ita deletam vt nona cenſenda ſit formam ſuſcipiat. Locus ſanè difficilis. Sunt enim omnia adeò immutata & confuſa vt veteris eccleſiæ faciem vix poſsis agnoſcere, & timendum eſt ne dum eius ſordes & ſquallorem vis abſtergere, ad viuum nimium reſecans, nonnullis dolorem afferas intolerabilē. Nec dubito quin ſint nonnulli qui ſentiant eſſe ſatius τὰ ἀκίνητα μὴ κινεῖν, quàm fruſtrà laborare, & ea tētare quæ nō poſſunt fieri. Nec me fugit eſſe plurimos, qui ſi de reparanda eccleſiaſtica diſciplina ſit ineunda ratio, ſint protinus reclamaturi,

ri,vt qui vel ſuam imminui potentiã, vel de ſuo quæſtu aliquid decedere ægre ferant. Qui ſunt à nobis rogandi vt publicæ cauſæ eccleſiæ ſe paulo prębeãt æquiores,& ſi nihil afferre poſsint quo oſtendant quæ mox dicturi ſumus,non eſſe Chriſtianæ reip. vtilia, non committant vt omnibus apertè ſuam oſtendant auaritiam, dũ priuata commoda præponunt publicis in re tam neceſſaria:& eccleſiæ ſalutẽ ſuam quoque contineri exiſtiment, quæ culpa ſuorum miniſtrorum in maximum eſt adducta diſcrimen.Priuſquam autem de tota re aggrediar dicere quid ſentiam, dicendum eſt aliquid de Concilio Baſilieñ & noſtra pragmatica ſanctione,& de conuentis inter Leonem põtifi. Max. & Franciſcum bonæ memoriæ Regem Chriſtianiſsimum.Concilio Baſilienſi & pragmaticæ quę ſecundum

De Concilio Baſilieñ ſi & Pragmatica ſanctione, & de conuentis inter Leo-

nem Papam & Fráciſcũ primum Regem Gallorũ.

ipſum facta eſt ſanctioni, quantum gallica debeat Eccleſia, nemo eſt qui poſsit verbis ſtatim conſequi. Nam quamuis veterem illam non omnino reſtituit diſciplinam, plurima tamen pulcherrimè conſtituit, quæ rebus malè affectis & exulceratis non contemnendam fecere medicinam. In eum quidem certè locum res eccleſiaſtica tunc fuerat redacta, vt ei opis aliquid attuliſſe magnum quid fuerit ac planè diuinum. Nam partim quidem mandatis, gratiis, quas vocant, expectatiuis, vnionibus & reſeruationibus agebantur ac ferebantur Eccleſię miniſteria, partim autem ab iis quorũ erant partes eccleſiaſticis muneribus præficere, virtutis & doctrinę tam parua atque adeò ferè nulla habebatur ratio, vt ei rei merito ſuccurrendum & conſulendum duxerit. Pulchrè itaque primum decreuit, vt liberè eligen-

rè diligendi iis quorum erat, plena relinqueretur poteſtas. Deinde vt iis qui in Academiis aliquot annos ſtrenuam nauarunt operam reſeruaretur tertia pars beneficiorum, certis conferenda menſibus, nec cuiquam ex iis planè eſſe prouiſum cenſeretur, donec ducẽtorum florenorum ſummam eſſet conſecutus. Præclare quidem quòd doctorum virorum eſſe habendam duxerit rationem: minus autem pręclarè, quòd potius perſonæ prouideat quàm eccleſiæ. Illud quoque fortaſſe minus videtur laudãdũ, quòd cùm eos apud eccleſias quæ ius habent conferendi vel nominãdi ſua nomina in ſcripta referre iuſſerit, & iis qui retulerint, ordine ſeruato conceſſerit veluti legis actionem ad vacantia beneficia, nec ambitionem & plura beneficia habendi cupiditatem videtur improbare: & dum quilibet

iuſ ſuũ perſequitur, immortales alendi lites, à quibus Eccleſiæ miniſtros decet omnino abhorrere, neceſſariã præbet occaſionẽ. Hinc exiſtit quòd apud iudices, qui de beneficij poſſeſſione tanquam de re quæ non ſit ſpiritualis, cognoſcant, de nulla re frequentius diſceptetur quàm de cauſis beneficialibus. His accedit quod cum rarò accidat vt vnum beneficium impleat ſummam ducentorum florenorum, ſi quiſpiam ſit iam vnum adeptus beneficium quod totam ſummam non impleat, & contigerit alterum vacare beneficium, vt ad id poſſit agere, à canone ſoluatur neceſſe eſt. Fiet itaque vt cùm duo ſimul habeat beneficia, vel ab vtroque vel ab altero ſaltem abſit neceſſe eſt: cumq; eodem concilio cautum ſit, vt iuxta veteres canones, non liceat ab vna eccleſia tranſire ad aliam, niſi id vel ne-

Nulla de re frequẽtius diſceptatur in foro quã de cauſis beneficialibus.

ceſsitas

ceſsitas vel Eccleſiæ poſtulet vtilitas; canone tamen ſolutus, nulla, vt ſunt corrupti hodie mores, nec neceſsitatis, nec Eccleſiæ vtilitatis habita ratione, duabus præerit Eccleſiis, & cum temerariam illam & propè effrenatam à canonibus ſoluendi ſeu diſpenſandi, quam iamdiu vſurparunt pontifices, cauſa non cognita po teſtatem, vituperet Concilium, eam tamen ex eo confirmat ac ſtabilit, quòd id concedat ad quod citra eam non poſsit perueniri. Rarò enim accidit vt citra quam vocant diſpenſationem, vnũ obtingat beneficium quod implere poſsit ſummam ducentorum florenorum. Mitto nundinationes & cauponationes, quæ exercentur à compluribus antequam ad definitam illam ſummam perueniant, quæ eos ita totos occupant, vt nec lectioni nec vlli honeſtæ actioni poſ-

ſint vacare. Quinetiam permulti lites quantumuis iniquas non ſolum obuiis, vt aiunt, vlnis excipiũt, ſed etiam vltro conquirunt, dum ſibi perſuaſerunt litigãdo ius acquiri. Mitto etiam quod & liberales artes, & eam quæ in rerum diuinarum contẽplatione verſatur ſcientiam, quam turpe eſt aliud ſibi proponere præter ſolam cognitionem, efficit ancillari quæſtui & illius annui prouentus cupiditati. Hinc certè fit, vt cum gradum illum quem vocãt aſſequi ſatis ſit, nec aliud requiratur quam ab Academia fuiſſe approbatum, quod ſæpe citra magnum fit negotium, plurimi quidem doctrinæ titulum, nempe gradum, ambiũt: pauci autem admodum, veram & ſolidam doctrinam perſequuntur. Cõplures quoque eum gradum aſſecuti, qui ad beneficia quibus inhiant eos poſsit prouehere, tanquam præmio potiti

Multi perſequũtur gradum nõ doctrinam.

potiti ſe ſocordię & otio totos dedũt. Mitto etiam quòd dum iuris artiúmque & medicinę profeſſoribus ad beneficia patere vult aditum, non videtur magnopere requirere vt ij qui Eccleſiæ præficiuntur, ſacris literis aliquam dederint operam, quod tamen feciſſe neceſſe eſt eum qui vt verbo Dei populum paſcat ordinatur. Hæc me mouent vt Concilium Baſilienſe & noſtram pragmaticam exiſtimem Eccleſiæ non ſatis prouidiſſe, cum iis qui aliquot annos literis dederunt operam, & ſtudiorum inſignia ſunt aſſecuti, reſeruat tertiam partem beneficiorum. Etſi autem in electionibus ſedulo laborauerit, vt quouis prętextu nihil iuris in iis haberet ſummus pontifex, ſed Canonici Epiſcopos, Cœnobiarchas eligerent Monachi, quoniam hoc videbatur eſſe ius eorũ proprium: efficere tamen non potuit,

quin, vt res hominum in dies labuntur in deterius, eorum electiones partim precibus partim pretio ſæpe tentarit atque adeò oppugnarit ambitio. Quod quidem fortaſſe nonnullã videtur dediſſe cauſam, vt quod ad ius eligendi attinet, concilio Baſilienſi & pragmaticę derogaretur ſanctioni, & conuentione facta inter Leonem pontificem Max. & Franciſcum Regem Chriſtianiſsimum, Regi fieret poteſtas nominandi, iure confirmandi relicto pontifici. De qua quidem hoc tantùm dicam, nullam potuiſſe excogitari expeditiorem eligẽdi rationem, & in quam minus cadere poſsit crimen ambitus, quàm cùm nominandi ad eum defertur arbitriũ, qui nec pecunia oppugnari, nec gratia inflecti, nec precibus vinci poſsit. Quod quidẽ facilè intelliget qui conſiderauerit, quàm eſſet olim laborioſa &

ſa & periculi plena concertatio, quoties de eligendo agebatur Epiſcopo vel cœnobiarcha, quę tota hodie ceſſat cùm ab vnius Regis nutu pendet nominatio, cui vix vnquam refragatur pontifex. Detur modo à rege opera vt ij ab ipſo nominentur, qui munus ſibi impoſitum ſuſtinere poſsint & velint pro dignitate, quod tamen paucisſimos in hodiernam diem cõſtat feciſſe, & in poſterũ facturos eſſe vix vlla ſpes eſt, ſi, vt fit, ex aulicis ſolum nominentur Epiſcopi ac Cœnobiarchæ. Fatebũtur cuncti Frãcorum Eccleſiæ nihil potuiſſe eſſe conducibilius, quàm id in vnius arbitrium cõferri, qui in nominãdo non aliud vnquam ſibi proponit quàm vtilitatem Eccleſiæ cui vult prouideri. Quod ſi in nominando hoc tantum agatur, quod abſit, vt operæ veluti merces ac remuneratio munera dētur Eccleſia-

ſtica, nemo erit, opinor, vir bonus & pius, qui non votis ex poſcat veterem illam, non ſolius quidē corrupti Cleri electionem, ſed quam à Clero factam ſuo teſtimonio vniuerſus populus comprobabat. Hoc quidē certè nemo eſt qui nō intelligat, Epiſcopi reſidentiam adeò eſſe neceſſariam, vt abſque ea populus vix cōtineri poſſit in officio, præſertim cùm omni ex parte exoriātur Lupi qui gregem conantur diſcerpere ac deuorare. Neque verò Epiſcopi ſufficit præſentia, ſi non etiam det operam vt munus ſuum rectè obeat. Epiſcopi eſt proprium munus docere populum. Id ſi non poſsit præſtare, quòd vel vox ſit nimis exilis, vel non ſatis valida latera, vel quæcunque alia ſit cauſa, curet ſaltem vt aliquis vir pius ac doctus, eius vici hanc neceſſariam ſuſcipiat prouinciam, & ipſe concionem ſua

ornet

ornet præſentia. Incredibile eſt enim quãtum moueat populum eius aſpectus, cui intelligit ſui curam eſſe mãdatam. Neque verò ſatis eſſe ducendum eſt, ſi tẽpore quadrageſimæ aut aduentus Domini ad populũ habeatur concio: ſed prouidendum eſt vt omnibus diebus dominicis ſit vir aliquis pius & doctus, qui in ſingulis cathedralibus Eccleſiis, verbi Dei famem qua laborat populus, pro viribus conetur ſatiare. Nihil certè eſt quod catholicæ Eccleſiæ aduerſariis plus tribuat auctoritatis apud imperitum vulgus, quàm frequentes quas habẽt ad populum conciones. Quod ſi tantum apud eos habet pondus falſa ſcripturæ interpretatio, à qua ſpiritum ſanctum procul abeſſe certum eſt, quid futurum eſſe cẽſendum eſt ſi vera Eccleſiæ dogmata in verbo Dei prædicando populo explicentur? Eſt

Epiſcopo quotannis obeunda ſua diœceſis.

prӕterea Epiſcopo quotannis tota ſua diligentiſsimè obeunda diœceſis, & de ſacerdotum moribus accuratiſsima facienda eſt inquiſitio: & maximopere prouidendū eſt ne quid vſquam deliteſcat, quod poſsit detrimentū afferre Eccleſiӕ. Atque hӕc quidem vt fiant, vicaria non eſt vtendum opera: & cùm ſit iuris diuini cómiſſum ſibi gregem paſcere, procul eſt expellenda falſa illa nōnullorum opinio, qui exiſtimant ſatis paſcere qui paſcit per alium, cùm de mercenario ſatis conſtet quid dicatur à Domino. Ab Epiſcopatu quidem certè abeſſe vix vnquá licet, niſi cum vel ad tēpus iuſta auocat cauſa vel grauis neceſsitas. Quod cum Tridétinū cóciliū pulchrè cōſideraſſet, nec vt in duabus diœceſibus Epiſcopi officio quiſquā rite fungeretur fieri poſſe vidiſſet, cauit ne quiſquam habere ſimul poſſet

duos

duos Epiſcopatus. Sed quid refert vnũne ſolum an plures habeas, cùm in vnico quem per canonem tibi ſolum habere licet non plus reſideas, quàm ſi plures haberes quos non liceret habere per canonem? Cauſa quidem illius condendi canonis quænã fuerit, nemo eſt qui non intelligat, nempe vt cùm vnam ſolam haberet Epiſcopus diœceſim, facilior & expeditior eſſet illi prouincia, & eo melius & diligẽtius ſuum munus obiret. Sed quid iuuat eum condidiſſe, cùm eius effectus ſit penè nullus? Quotuſquiſq; enim eſt hodie qui præſens fungitur ſuo munere? Quotuſquiſque eſt qui cum Epiſcopi ei mandatur munus, aliud ſibi proponit quàm fruẽdos prouentus, & non tum præclare ſe ſuo functum officio exiſtimat, ſi ad conferenda beneficia vicarium, ad ordines & conſecrationes ſuffraganeum,

ad exercendam iuriſdictionem ſub-ſtituat Officialem? Quod cùm vbique fieri eſt maximè dolendum, ante oculos quidem certè Pontificis, cuius eſt curare vt conciliorum inuiolata maneat auctoritas, quotidie obuerſari Epiſcopos qui eccleſiis ſuis deſertis Romæ habitēt, quis ſatis explicare poteſt quā ſit indignū, quātis lachrymis proſequēdū? Miſerabile certè, miſerabile boni omnes illud Romæ iudicát ſpectaculum, cum cateruæ cernantur Epiſcoporum, qui malunt affectando Cardinales ſe eorum ſeruitio mancipare, quàm in ſua parœcia ſuum obeundo munus Chriſto ſeruire. Quos certè ſi ſummus Pontifex flagellis, nō ex Eccleſia, ſed ab vrbe Roma ad Eccleſiam ſuam expelleret, is mihi vicarij Chriſti officio rite fungi videretur. Et interea, ſi diis placet, exortus eſt Epiſcopus, qui non eſſe iuris diuini Epi-

Plurimi Epiſcopi ſeruiunt Cardinalibus non Chriſto.

Conatus eſt proba-

ni Epiſcopum in ſua reſidere diœceſi, literarum monimentis reliquit conſignatum, melius certè ſuam operam collocaturus, ſi & reſidens exemplo, & ſcribens exhortatione vt ſuo fungerentur officio Epiſcopos incitaſſet. Sed de Epiſcoporũ quidem electione hactenus, qui niſi quales loco eligantur, & præſentes ſuo fungantur munere, video, video, inquam, quod tamen Deus auertat, Eccleſiæ maximũ impendere periculum. De cœnobiarcharum autem ſeu Abbatum quid dicam nominatione? Dicámne præſtabilius fuiſſe, Abbates, vt Concilium volebat Baſilienſe, eligi à Monachis? Quaſi verò nõ fatendum ſit, propter eorum vitia, quid enim aliud dicam, iuſto Dei iudicio eis ablatam fuiſſe electionem? Dicámne mihi minus placere Cœbiarcharũ, quæ ex Regis nominatione hodie fit electionẽ? Quaſi

re Epiſcopus nõ eſſe iuris diuini in ſua reſidere diœceſi.

Abbatũ electio.

verò quidquã referat quid mihi homunculo, terræ penè dixerim filio, placeat aut diſpliceat, cum nominationem ab illuſtriſsimo Rege factam ſummus comprobet pontifex. Ea verò mihi videretur non ſolum non vituperanda,ſed etiam ſummis efferenda laudibus, ſi nonnulla tollerentur incommoda, quæ ſunt apertiora quã vt cælari aut diſsimulari poſsint, quæ tamen fatendum eſt non tam ipſius rei vitio, quàm culpa hominum accidiſſe. Atque verò hic referũt, quod nõnullis videtur indigniſsimum, vociterantibus nunc omnia ἄνω ποταμῶν, olim neminem fuiſſe Imperatorẽ qui non prius militiæ ſtipendium meruiſſet, nullum Abbatem qui non antea fuiſſet monachus; nunc autem ita eſſe moribus comparatum vt ex Monacho nunquã creetur Abbas. Nam nec monachis deſunt ſua quibus fruantur

beneſi-

beneficia, nec eis magnopere curãdũ eſt ſi non fiant Archimandritæ, cùm eiuſmodi onera etiam oblata deberent reſpuere, vt quæ à cõtemplatione & oratione, cui eos ſemper deditos eſſe oportet, auocẽt. Et certè ſi diuinitus quãdoque cõtigerit vt eis cõmendẽtur monaſteria, qui honeſta aliqua fructuũ portione contenti, reliquã in alendis & inſtituendis monachis, in pauperibus recreandis, in ædificiis reparãdis cõſumãt, nihil poſſet accidere optabilius, nihil magis expetendum. Sin autem ita ſe gerant Commendatarij quomodo omnes ferè ſe videmus gerere, vt qui cómendarunt monaſteria, eis videantur omnia comedenda propinaſſe: non poterat, ita me Chriſtus amet, ea maior calamitas accidere. Videmus hodie à compluribus teneri monaſteria, qui cùm ædificia omnia minentur ruinam, ne

Commendatarij.

vno quidem lapide admoto eam fulciant: cùm indoctiſsimi ſint monachi & diſſolutiſsimi, nec eos curant certa continẽdos diſciplina, nec præceptores adhibent qui eos erudiant, atque vtinam non eſſent etiam qui ſuo exẽplo eos ad flagitia inuitarent. Cùm olim ſoleret ſtatis diebus ab Abbatibus eleemoſynæ aliquid erogari, id totum in vſus ſuos cõuertunt, & pauperes quos alere debebant, ſubtractis alimentis occidunt. His accedit quòd cum nullus ſit canon, qui vetet quo minus plurima vni poſsint commendari monaſteria, ſintq; nõnulli, quorum auaritiam, &, vt ſignificantius Græcè dicam, πλεονεξίαν, ne vniuerſus quidem orbis terrarũ ſatiauerit, frequenter accidit vt in diſtinctiſsimis locis eis cõmendentur monaſteria, quę nũquam ne per ſomnum quidem viſant, ſatis habentes ſi fructus ex eis,
perce

perceperint, ex quo quídnam eueniat quis eſt tam cæcus qui non videat? Hęc ergo niſi ſublata fuerint incommoda quæ ſunt lõge grauiſsima, quiſnam erit vir bonus, qui non vete rem ſi fieri poſsit, malit electionẽ? Si rurſus tollantur, non hanc expeditiſsi mam Regis mominationem, à qua omnis ambitio, omnis prehenſatio, omnis quæ in ſacris eſt execranda per pecuniam oppugnatio, omnis quæ per vim fit impreſsio, procul abſit neceſſe eſt, non ſummis cumulet laudibus? Sed qua tandem, inquies, ratione hæc auferri poterũt? Temerarium fortaſſe videbitur qualẽcunque meã de rebus tantis proferre ſententiam, præſertim cùm in hoc florentiſsimo regno tot ſint viri ſapientiſsimi, qui hæc & longè melius intelligunt, & ad res moderandas ſunt quaſi à natura procreati, & longo rerum vſu exerci-

tati, Reip. tamen bono, quo nihil mihi eſt carius, incitatus, & Regis Chriſtianiſsimi æquanimitate fretus, qui quãtopere cupiat Eccleſiæ miniſtros ſuo rite fungi officio, cùm multis aliis abunde declarauit, tam haud ita pridem promulgato de reſidẽtia decreto. Si hoc quod ſum dicturus eſt futurum ex vſu Eccleſiæ, vt mihi futurum perſuadeo, vt id aliquando fiat non poſſum non optare. Sin minus: meũ quidem ſtudium & animi propẽſionem, vt æqui boni conſulatis vos rogo & obſecro. Atque hoc primum quidem ſtatuo eſſe extra omnem cõtrouerſiam, leges ita eſſe ferendas, vt, quod præclarè alicubi dicit Ariſtoteles, hominis arbitrio & voluntati minimum loci relinquatur. Nam cum ea ſit natura hominis vt facile deprauetur & in peius mutetur, hoc quoque mali accedit, quòd id quod fit exemplo,

Leges ita ſunt ferẽdæ, vt hominis arbitrio minimum loci relinquatur.

exemplo, iure quoque fieri exiſtimãt. Quamobrem hoc mihi primum videretur prouidẽdum vt certis legum finibus homines ita contineantur, vt extra eos omnem ſibi poteſtatem interdictam intelligant. Cùm ergo inter cætera hoc ordini Eccleſiaſtico magnam afferat offenſionem, quòd Commendatarij, vel propter monaſteriorum eis commẽdatorum multitudinem, vel quod ea ſita ſint locis diſiunctiſsimis, non poſsint ea, vt deberent, viſere, & eorũ curam gerere, eſſet lege certus conſtituẽdus numerus, vltra quem nemini liceret commendatum accipere monaſterium, & certi conſtituendi termini, vltra quos non liceret Commendatario ſuſcipere curam alterius monaſterij. Ita enim fortè fieret vt & eos puderet in legẽ committere, & rex benigniſsimus ab eis interpellatus liberrimè denegaret

quod per ius dare non poſſet. Cōcilio Tridētino cautū eſt vt nō liceat canone ſoluere ad adminiſtrādū vltra duo beneficia, quibus adiūcta eſt cura animarū. Paulus quoq; iiii. Pōtifex max. qui nauis Petri hodie clauum tenet, in hoc eſt maximè laudādus, ꝙ in reſcriptis quibus ſoluit à canone, hāc ſemper addit clauſulam: Si modo ſecundum beneficium ab altero diſtet tantum per diætam. Quod quidem ideo facit, quòd nō vult nimis diſtinctum interuallum obſtare quominus poſsit commodè vtrãque adire Eccleſiam. Hoc ipſum fortè eſſet ſtatuendum in iis quæ commendantur monaſteriis. Neq; verò ſunt audiendi, qui tenent monaſteriorum minorem eſſe habēdam rationem, quam beneficiorum quæ adiunctam habent curam animarum. Quaſi verò non ſint etiam rationis participe anima præditi Monachi,

Paulus quartus Pontifex Max.

Non minor habendi ratio Monaſteriorū quā beneficiorum curatorum.

chi, quorũ exitium de manu Archi-
mādritarum Deus eſt requiſiturus, ſi
eorũ culpa id acciderit.Dolendũ pro-
fecto,dolēdum eſt, quòd cũ olim tot
viri pietaté & doctrina inſignes pro-
dierint è monaſteriis, Baſilius, Gre-
gor.Naziãzenus,Ioannes Chryſoſto-
mus,Gregorius Pōtifex Max.Benedi-
ctus,& alij innumerabiles, qui ſuis &
exēplis & ſcriptis Dei Eccleſiæ pluri-
mũ profuerũt, hodie magna ex parte
eſt ſumma Monachorũ iuſtitia cum
vitio cõiũcta,quę tota ferè eſt adſcri-
bēda Cõmēdatariorũ negligētiæ, qui
nõ dant operam vt bonos & doctos
habeant Præceptores. Valde etiã do-
lendũ eſt,quòd cum calamitoſiſsimis
his tēporibus pauperum ſit maximus
prouentus,ablata ſint eis alimēta,quę
antequam exorirētur iſti Commēda-
tarij, certis diebus publicè ſuppedita-
bátur è monaſteriis. Quinetiam quis

non angatur animo, cum videt templa anguſtiſsima & pulcherrima ædificia partim minari ruinã, partim iam corruiſſe, cum interim monaſteriorũ prouẽtus quomodo cõſumatur quid opus eſt dicere? His certè rebus propediem futurum eſt vt niſi opportunum afferatur remedium,& monaſteria & monaſtica diſciplina funditus intereant. Non eſſet autem fortè alienum lege cauere vt monaſteriorum fructus ita diuiderentur, vt cùm eſſet certus conſtitutus Monachorum numerus,quem non poſſet pro ſua libidine minuere Commendatarius, certi quoque aliquid conſtitueretur quo ſe poſſent alere & veſtire, eorum habita ratione,id eſt,ita frugaliter,vt nõ dum luxu diffunditur Cõmẽdatarius, ipſi ægri famem ſolentur. Deinde vt etiam ex eis honeſtum conſtitueretur ſtipendium,quod daretur Præceptori,qui

Salubre cõſilium.

ri, qui in literis Monachos inſtituerent:
vt & qui ex eis ordinantur ſacerdo-
tes, illotis, vt aiunt, manibus ad tātum
munus nō accedant; & ne ſint planè,
quod dicitur ὄνοι λύρας: & qui ſacris non
initiantur, ex aſsidua ſacrorum libro-
rum lectione ſuam cui eos totos dica
tos eſſe oportet augeant contempla-
tionē. Deinde vt ex eis fructibus cer-
tum quid deducatur, quod conferá-
tur in neceſſariam tam ſacrarūm ędiū
quam profanarum reparationē. Con-
ſtitui autem oporteret hęc omnia au-
ctoritate Regia, vt nulla ratione lice-
ret Commendatariis ab eis reſilire, vt
cum eis cōmendata traderentur mo-
naſteria, ſimul etiam ſcirent quænam
onera ſint ab eis ſuſcipienda. Quæ ſi
detrectent, aut minus fideliter ac dili-
genter procurent, cogi poſsint, in mo-
naſterij bona iniecta manu regia. Hęc
ſi fiāt, quæ, vt arbitror, nemo erit tam

iniquus qui non eſſe intelligat æquiſſima, quis regiam nominationē per quam monaſterio prçficitur Cómendatarius, non pluris faciat quam turbulētam illam, litibúſque, odiis & ſeditionibus obnoxiam, quæ olim erat monachorum electionem? Sin autem Commendatariorum arbitratu, imò verò libidine, qui ferè omnia hodie ad vſus ſuos cōuertunt, cuncta temere agantur ac ferantur, de monaſteriis & monaſtica diſciplina mihi actum eſſe perſuadeo. Atque de his quidem hactenus. Reſtat autē vt oſtendamus non obſtare pragmaticam, nec inter Regem & pontificem conuentionē, quoniā noſter canon obſeruetur. Sed quoniam videntur nonnulla etiā alia interuenire impedimenta, ea ſunt remouenda, vt poſtquam nihil fuerit quod nos amplius remoretur, explicatiſsima & expeditiſsima ineatur ratio

 tio

tio, noſtrum canonem in eum reſtituendi locum, vnde temporis iniuriâ & linguæ Græcæ inſcitia diu abhinc fuit deductus. Atque hoc quidẽ primũ valde videtur obſtare, quòd cùm dixerimus hanc eſſe mentem canonis vt ordinatio fiat ad Eccleſiam ſeu ad titulum, non autem tum demum fiat ordinantio ſi ordinandus Eccleſiam habeat ſeu titulũ: ex beneficiis autem alia ſint, vt vocant, ſecularia, alia regularia: ad regularia quidem conferenda non ſemper plenũ ius habeat Epiſcopus, cùm ab Abbatum præſentatione ea ſæpe pẽdeant: ſed nec ad omnia ſecularia, cùm plurima multis in locis pleno iure conferat conuentus canonicorum. Quin etiam cum ab eo qui ius habet nominandi pręſentetur ordinãdus, non videtur in his Epiſcopus poſſe ordinare ad titulum, ſed ordinare eum qui habeat titulum. Hũc

modum mihi rectè videtur perſpexiſ-
ſe & pulchre explicaſſe Fr. Duarenus, *Duarenus.*
etſi aliud ageret, lib. iij. de beneficiis
dum tractat de regalibus. Nam cùm
quæcunque facta fuerit collatio be-
neficij, ea nō prius eſt perfecta & om-
nibus numeris abſoluta, quam ei cui
collatum eſt beneficium manus fue-
rit impoſita, non dicendum eſt eum
eſſe ordinatum quòd habeat titulum,
ſed ſi viſus fuerit idoneus, eſſe ordi-
natum ad titulū. Quod quidē multo
magis verum eſt in eo qui nominatus
prę ſentatur, cum ei nō neceſſe habeat
conferre Epiſcopus, ſi eum non inue-
niat dignum qui ordinetur. Quantū-
cunque autem hodie mutata ſit ve-
tus forma præficiendi muneribus Ec-
cleſiæ, vt ſtatim dicemus, ſi tamen
Epiſcopus ius ſuū, vt par eſt, tueatur,
neque concedat vt quiſquam præter
canones vicaria vtatur opera, euiden-

tiſsimè apparebit illũ ordinare ad titulum. Cum enim eum cui collatum fuit beneficiũ diligenter prius examinatum ordinauerit, poteſt eadem opera curare vt ei publico edicto ſeu præconio ſpecialis deſignetur titulus ad quem eſt ordinatus. Nec me tamẽ fugit in regularibus huic canoni quotidie fraudi fieri, cùm cuipiam Clerico, vt vocant, ſeculari commendatur prioratus, eſt enim his iá receptis vtendũ vocabulis, in quo ſacra tradit obeunda alicui Monacho presbytero; ipſe autem ne ad minores quidem ordines progreditur. Huic autem fraudi facilè occurri poterit, ſi certus conſtituatur numerus ſacerdotum in monaſteriis, qui dici poterũt aſsignati titulo monaſterij, vltra quos cùm non poſsit vllus ordinari Monachus niſi ad certum Eccleſiæ titulum, neceſſe erit vt vel titulo cedat Commendata-

rius cum ſacra obire non poſsit, vel ſe ad prioratus titulum rite & canonice ordinari poſtulet, nec tanquam ignauus fucus alienis fruatur laboribus. Sunt autẽ ferè omnes iſti prioratuum Commẽdatarij ex triplici genere hominum. Aut enim ſunt aulici qui aſſectãtur magnos Cœnobiorum Cõmendarios; ij autem in otio & delitiis magnam vitæ partem conſumentes, vt poſsint ſuppeditare ſumptibus, beneficia quacunque ratione aucupantur. Cùm monaſtica autem beneficia, quod Monachi non ſint, iure tenere non poſsint; per põtificem ſoluuntur à canone. Alterum genus eſt eorum, qui tantum abeſt vt mundanis non implicentur negotiis, quod ab eo qui Deo militat exigit Diuus Paulus, vt etiam toti verſentur in cognoſcendis litibus & controuerſiis, adeo vt ſuarũ Eccleſiarum ne per ſomnum quidem

Quales ferè ſint hodie prioratuum Commendatarij.

Quid D. Paulus exigat ab eo qui Deo militat.

 eis

eis vacet meminiſſe, niſi ſi quando de exigẽda agatur pecunia. Tertium eſt canonicorũ, qui etſi eſt adeo neceſſarium vt adſint in Eccleſia, vt citra mãgnum ſuum detrimentum eis vix abeſſe liceat, ſibi tamen collata quæcunque beneficia etiam remotiſsimis in locis non dubitant admittere. Quoniam autẽ ij in cathedralibus & collegiatis, quas vocant, Eccleſiis, & iuris & auctoritatis hodie habẽt plurimũ, de his nobis eſt aliquid dicendum, quãtum ex canonibus & ex cõiecturis nequaquã leuibus poſſumus conſequi. Atque primũ quidẽ illud cõſtat cum ex canonibus tũ ex Iuſtiniani cõſtitutionibus, olim Epiſcopi & Clericorum vnũ fuiſſe velut corpus, cuius caput erat Epiſcopus. Alebantur autem ij omnes Eccleſiæ facultatibus, quibus adminiſtrandis conſtituebatur Oeconomus, ne eorum cura cle-

Epiſcopi & Clericorum olim fuit veluti vnũ corpus.

ricos auocaret à ſuo munere. Neque verò eæ ad Epiſcopi tantum & clericorum alimenta ſufficiebant: ſed & pauperes iis alebantur, hoſpites excipiebantur, ædes ſacræ reficiebantur. Quanquam autem in iis diſpenſandis præcipuum locum tenebat Epiſcopus, diſpenſare tamen non poterat niſi adſcitis presbyteris ac Diaconis. Porrò autem eorum clericorum varij erant ordines, vt qui gradatim prouecherentur ad ordinem presbyterij. Ordinabantur autem ab Epiſcopo, præſente & adſtipulante clero, & non ſine populi teſtimonio. Dicti autem

Canonici. ſunt clerici canonici, quod canonicè viuerent. Quanquam hoc canonici vocabulum nuſquam reperiatur in

Conciliũ Laodicẽſe. antiquis Canonibus, præterquam in concilij Laodic. can. 14, qui vult nõ licere alicui canere præter canonicos

Maguntiacum. Pſaltas: & in conſilio Maguntiaco quod

quod fuit tempore Caroli Magni, ex quo perſpici poteſt eius adhuc tempore, clericos canonicos in cõmuni ſimul vixiſſe. Atque cum imperium quidem tenente Iuſtiniano in tantam multitudinem creuiſſet numerus clericorum, vt eis alendis non ſufficerent facultates Eccleſiæ, edita eſt ab eo cõſtitutio vt eſſet certus ac definitus numerus clericorum. Procedente autẽ tempore, cum vt eſt veriſimile communio pareret diſcordiam, viſum eſt cõmodiſsimũ vt quaſi quodem communi diuidundo iudicio, inter Epiſcopum & clericos Eccleſiæ bona diuiderẽtur. Hinc factum eſt vt duo vocabula mortaliũ generi, teſte Platone, longe pernicioſiſsima, meum ſcilicet & tuum inueherentur in Eccleſiam. Hinc factum eſt vt nihil habeat Epiſcopus commune cum cœtu canonicorum, quem vocant capitulum

Canonici in communi ſimul viuebãt.

Meum & tuum.

Neque verò ſatis fuit inter ſe diuidere prædia ac poſſeſsiones, niſi eſſet de pauperibus interim aut nulla aut perexigua facta mentione, etiam vtrorúmque diſtincta iuris dictio: & eó vſque res proceſsit vt tandem perfecerint Canonici vt in plurimis locis Epiſcopus in eos nullam habeat iuriſdictionem, vtque ſint omnino exẽpti, adeo vt nec eos quidem viſitare liceat, quod tamẽ à cõcilio Tridentino nuper fuit abrogatum, etſi nondum obſeruetur. Et quod ad beneficiorum quidẽ attinet collationes, vt canonicatus quidẽ ac reprehendas cùm dignitatibus fere omnibus cõferat Epiſcopus, niſi aliqua ſint collegia quæ ius habent eligendi: parœcias autem partim Epiſcopus, partim conuentus Canonicorum, niſi vel præſentent Archidiaconi, vt qui magna ex parte leuent Epiſcopum onere viſitandi, vel patroni

patroni tam laici quàm Eccleſiaſtici. Atque operæpretium quidem eſt videre quemadmodum permulti ſe gerant Canonici in his collationibus. Nam cùm conferendi beneficia ſint ſtato tempore cuilibet ſuæ vices, vel in conferendo ſibi inuicem gratificãtur, vel ea famulis ſuis conferũt quos habent in poteſtate, vt quando viuũt fruantur ipſi collatæ Eccleſiæ prouẽtibus, quam nec ipſi, nec quibus eam contulerũt famuli vnquam inuiſunt, niſi fortè vt ſe oblectent, magis quàm vt vel tantillum ſuo fungantur officio. His ſic expoſitis, reſtat nunc vt videamus quemadmodum fieri poſſit, vt nec pragmatica ſanctio, nec põtificis Regíſque cõuentio obſtet quominus noſter obſeruetur canon. Atque primum quidem hoc ſtatuto, in poteſtate eſſe Epiſcopi nemini concedere vt in adminiſtranda Eccleſia vi-

Quomodo ſe gerant Canonici in collationibus beneficiorum.

caria vllius vtatur opera, ſed quilibet per ſe ſuo fungatur munere. Quod ſi fiat, quodcunque beneficium ſcholaſtico literaturæ gradum fortè conſecuto obtegerit, ſi id quidem ſit Eccleſia quæ curam requirit animarum, ad eam ordinetur, & in ea reſideat oportet, cùm minimè admittatur vicarius. Sin autem canonicatus, vel, vt vocant, præbenda, Eccleſiam curam animarũ requirentem, prius obtinere non poterit, quam canonicatu ceſſerit, cum in vtroque ſimul ſacrum munus per ſe obire nequeat, neque per vicarium adminiſtrare liceat. Quotieſcunque autem pinguius aliquod obtigerit beneficium, quod vult ſibi conferri vt ducentorum Florenorum ſummam cõceſſam impleat, id poterit quidem aſſequi ſi priori ceſſerit: utrũque enim habere non poterit, cùm in vtroque non poſsit reſidere. Fiet itaque eá ratione

tione vt ceſſent tot lites,tot nundinationes, tot cauponationes, quæ inter eos exercentur priuſquã ad ſummam cõceſſam peruenerint. Quoniam autem hoc totum ex eo pendet vt nulli liceat conſtituere vicariũ, duo cuperẽ regio edicto caueri: vnũ, quod edicto Regis Henrici de reſidẽtia prius cautum fuerat, nẽpe vt in prædia,& poſſeſsiones Eccleſiæ eius qui præſens non fungeretur ſuo munere, iniiceretur manus Regia: alterũ vt grauiſsimè animaduertetur in Epiſcopum, qui vel gratis admiſiſſet Rectoris Eccleſiæ vicarium, quanto magis autem ſi accepta pecunia? Hoc quidem tanti eſt momenti, vt niſi vtrumque conſtituatur, fruſtra laboretur in reſtituẽda Eccleſię diſciplina. Neque verò eſt quòd quiſpiam dicat Regem miſſurum eſſe falcem in meſſem alienam. Nã cùm eiuſdẽ ſit, vt principis Chri-

Duo deberent edicto Regio caueri.

Regis eſt Eccleſiam tueri.

ſtianiſsimi, protegere ac tueri Eccleſiã, quid in hoc ſibi ſumat citra quod id explicari ac effectum reddi nõ poſſit? Quãdiu enim Eccleſiæ bonis frui licet, etiam ſi ad ea nunquam acce-das, ad opes quidem, vt ſunt corruptiſsima hodie ingenia, aſpirabunt & ſe ingerent plurimi, ad opus autem & ſuum officium faciẽdum ferè nemo. Quod quidem Eccleſiæ exitium afferat neceſſe eſt. Nec eſt quod exiſtimet quiſquam ægre laturum pontificem, ſi ei tollatur occaſio ſoluendi à canonibus: ægrè ferent fortaſſe menſarij & ſcriptores aliqui, qui ex Eccleſiæ incommodis ſua venantur commoda, ipſe autem põtifex, cuius maximè intereſt, vt quibus commiſſæ ſunt Eccleſiæ ſua obeant munera, vt qui intelligat non alia ratione expellendas hæreſes & reddendã orbi Chriſtiano tranquillitatem, non inuitus ea

carebit

carebit moleſtia: maximè cùm eum non prætereat vix fieri poſſe vt rectè per ſe perſpectas habeat iuſtas cauſas ſoluendi à canone eos qui in regionibus habitant diſiunctiſsimis: temere autem quod petitur, modo ſit aliquis prætextus, concedere, eſſe planè hominis diſſoluti, nedum ſapientis & iuſti pontificis. Quanquam negari non poteſt incidere ſæpe tempora, vt ſit aliquis ſoluendus à canonibus, ſed id faciēdum eſſe cauſa cognita nemo ſanæ mentis iuerit inficias. Quod quidem vel ex Lateranenſis concilij capite, quo maximè pontificiæ nituntur diſpenſationes, pulchre poteſt intelligi. Nā circa ſublimes & literatas perſonas vult per Apoſtolicam ſedē poſſe diſpenſari. Diſpenſari quidem poteſt, ſed non paſsim & citra vllum diſcrimen: alioqui ea iam non erit iuſta & legitima diſpenſatio, ſed profuſa

c. De mul ta. de præ bē. & dignit.

diſsipatio: & ne putaret ſe quaſlibet ſublimes & literatas perſonas ſoluere poſſe à canone, prudentiſsimè adiecit, cùm ratio poſtulauerit. Quænam autẽ ratio hoc poſtulabit niſi vel Eccleſię vtilitas vel neceſsitas? Quæ duo ſunt ſemper ſpectãda ſi agatur de mutatione ſedis Epiſcopalis & cuiuſuis Eccleſię. Quanto autem magis ſi agatur vt præficiatur quiſpiã duabus Eccleſiis? Quorum quidẽ cum non poſſit ſatis certam habere notitiam ex iis qui per equos diſpoſitos curſu citato Romam petũt: vt cauſa cognita poſſet id quod æquum eſſet ſtatuere, de ea re diſceptãdum eſſet in prouinciali Concilio, ſecũdo quoque anno cõgregando, cui intereſſet pontificis legatus, vel de concilij ſẽtẽtia à canone ſoluturus, vel pontifici renuntiaturus, vt ſi videatur ſoluat. Maturè enim de re tanta cenſeo eſſe deliberandum

Prouinciale conciliũ ſecũdo quoque anno congregãdum.

dum, quæ tanti eſt momenti, vt ex ea vel reformatam, vel planè deformatam habituri ſimus Eccleſiæ diſciplinam. Cuius ſi in dies labentis, atque adeo iam ferè omnino lapſæ non miſertus, quod abſit, pontifex Max. obſtinato animo vellet cauſa nō cognita quoslibet à canone ſoluere, poſſet rex Chriſtianiſsimus vno ſolo edicto de antiquis obſeruandis canonibus & diſpenſationibus Roma nō petendis, eadem opera & de regno ſuo optimè mereri, quod per eas diſpenſationes pecuniis mirandū in modum exhauritur, & de ordine ſacerdotali, qui ad priſcam illam adminiſtrandæ Eccleſiæ formam reuocaretur. Quod quidem quàm ſit neceſſariū ex hoc poteſt intelligi, quòd ſi aliquot ab hinc ſeculis integra & inuiolata manſiſſet Eccleſiæ diſciplina, tot erroribus, tot ſectis & ſeditionibus, quæ ex male

obito Eccleſiæ miniſterio originem cepere, nullus in orbe Chriſtiano eſſet relictus locus: pōtifici autem maximò, vtpote vero Chriſti vicario, in omnibus parēdum eſt quæ pertinent ad Eccleſiæ ſalutē & ædificationem: in iis verò quæ aperte tendunt ad eius exitium, nō dubium eſt quin ipſa Eccleſia & qui eius tuendæ partes ſuſcepit rex Chriſtianiſsimus, non ſecus ac Petro Diuus Paulus ei poſsit in faciē reſiſtere, quoniam in eum iuſta cadit reprehenſio. Nihil autem eſſe quod Eccleſiæ maiorem afferat perniciem, quàm nimis frequentes huiuſmodi diſsipationes, diſpēſationes volui dicere, exiſtimo neminem eſſe qui non ſentiat, licet ſint fortaſſe qui non lubenter id fateantur, quòd priuata cōmoda publicis anteponāt. Illud quoque nequaquā videtur omnino concedendum, vt cui collatum eſt beneficium

ficium quod annexam habet curam animarum, prætextu ac fauore ſtudiorum ei permittatur, vt ad aliquot annos non fiat ſacerdos. Nam cui cõfertur eiuſmodi beneficium, eius ſimul electa videtur induſtria. Qui ſi ſit dignus, ſuo fungatur officio. Sin indignus, non eſt permittendum vt idonei & digni locum fruſtra occupet. Sed reſtat nobis adhuc vnus ſcrupulus, qui niſi eximatur, non poterit noſter canon plenè & perfectè ſeruari. Nam cùm noſtro canone caueatur vt nemo abſolutè ordinetur: abſolute autem ordinari dicatur qui non ordinatur ad titulum, patrimonij autem non ſit vllus, vt dictum eſt, titulus: in plurimis autem Eccleſiis opus ſit multis ſacerdotibus, vnus autem ſolus ad titulum dicatur ordinatus, nempe is qui eſt Eccleſiæ præfuturus, quomodo inuenientur cæteri

Quid ſit abſolutè ordinari.

ſacerdotes qui ſeruiant Eccleſiæ? Hūc ſcrupulum, vt eximamus, dicendum eſt non eſſe verum vnum ſolum preſbyterum ordinari ad titulum, ſed eos omnes ordinari ad titulum, qui ordinantur vt in aliqua Eccleſia ſacra obeant. Eſt quidem vnus cæteris præfuturus, quem Presbyterum Cardinalem olim fuiſſe Romæ appellatum arbitror. Nec enim eſt conſentaneum vnum ſolum Presbyterum fuiſſe Romę in illis qui dicūtur titulis, ſed multos quidem fuiſſe Presbyteros, vnum autem Presbyterum Cardinalem. Vt ergo canon noſter exactè obſeruaretur, eſſet in ſingulis Eccleſiis definiendus certus numerus Presbyterorum, qui ad Eccleſiæ titulum ita ordinarētur, vt incōſulto Epiſcopo illinc non poſſent diſcedere, nec ad aliam tranſferri Eccleſiam, niſi id Eccleſiæ poſtularet vtilitas vel neceſsitas. Ita fieret

ret vt nec Eccleſiis deeſſent ſacerdotes, & ceſſaret errantium hic & illic ſacerdotum, ferè dixerim colluuies, qui vniuerſo ordini ſacerdotali probrum ac dedecus afferunt, Vt autem ab Eccleſia procul expellatur omnis turpis lucri, & affectionis, vt ita dicam, carnalis ſuſpitio, non ſunt temere admittendæ permutationes & eæ renuntiationes, quæ, vt eorum verbis vtar, fiũt in fauorẽ. Eccleſię enim vtilitatis ſemper habenda eſt ratio, quæ niſi re ritè perpenſa & examinata ſatis cognoſci non poteſt. Cuicunque autem fuerit renunciata animarum curam exigens Parœcia, ea tum demum ſit omnibus numeris abſoluta, cum is in cuius fauorem facta eſt renuntiatio, ordinandus oſtenderit ſe non eſſe indignum tali munere. Sed iam tempus eſt orationi noſtræ finem imponendi, auditores, quæ ſi vobis paulo viſa eſt pro-

lixior, facite vt cum veſtris animis cogitetis rem tantam non potuiſſe paucis verbis explicari. Atque vtinã tam in manu mea eſſet quod verbis ſum proſecutus re effectũ reddere, quàm non dubito pleriſque ferè omnibus eſſe perſuaſum, id Chriſtianæ Reip. fore vtiliſsimum. Quid enim poſſet eſſe vtilius, quam ſi Epiſcopi præſentes ſuo fungerentur munere? ſi ij quibus manus imponunt, cùm & Cleri & populi fuiſſent confirmati teſtimonio, ad certam ordinarentur Eccleſiam, à qua nunquam diſcedere, nec ad aliam migrare poſſent niſi cauſa cognita? ſi monaſteriorum Commendatarij non ſolùm percipiendorum fructuum curam gererent, ſed & inſtituendorũ in literis Monachorum, & alendorum pauperum & reficiendorum ædificiorum rationem habẽdam eſſe ducerent? ſi nullus afferri

Repetitio corũ quæ per totam ſparſa ſunt orationem.

ferri

ferri poſſet prætextus, qui obſtaret quo minus quilibet ſuum faceret officium? ſi litium, nundinationum, & cauponationũ, quoad eius fieri poſſet, omnes tollerentur occaſiones? ſi indoctorum, flagitioſorum, & errantium ſacerdotum infinitus tolleretur numerus? ſi permutationum & renũtiationum non alius eſſet ſcopus, quã Eccleſiarum, non autem perſonarum vtilitas? Quòd ſi his etiam accederet vt tam Epiſcopalia quàm prouincialia concilia rite celebrarentur, & in iis de delictis ſacerdotũ maturè cognoſceretur, & in eos ſeuere animaduerteretur, quis non videt priſcam illam tandiu exoptatam Eccleſiæ diſciplinam mox eſſe reſtituendam, cuius ſacroſanctam maieſtatem non ſolum hæretici, ſed etiam ipſorum cacodæmonum, vniuerſus extimeſceret exercitus? Sin autẽ hoc vnum ſibi pro-

ponat, quod abſit, ordo Eccleſiaſticus, vt pro libidine bonis fruatur Eccleſiæ, interim de ſuo munere nihil omnino ſolicitus, eum ab imminentibus periculis, falſus vtinã ſim vates, ne ipſa quidem ſalus ſeruare poterit.

Gentianus Heruetus.

BIBLIOTECA NA